



## **Historiæ Societatis Iesv Pars ...**

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis  
ejusdem Sacerdote

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCCX**

Lib. XXI. Religio per Societatem Jesu defensa, illustrata, & propagata, in  
Philippinis, Molucis, & aliis quibusdam Asia insulis, ab anno Christi MDXCI.  
ad MDCXVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

LIBER XXI.  
PARTIS V.  
HISTORIÆ SOCIETATIS  
IESU.

*Argumentum & Synopsis Libri XXI.*

Religio per SOCIETATEM IESU defensa, illustrata, &  
propagata in Philippinis, Molucis, & aliis  
quibusdam Asiæ insulis, ab anno Christi  
MDXCI. AD ANNUM MDCXVI.

I. **D** *RIMI Societatis labores in insulis Philippinis. Collegia Manilanum & Zebuanum. Seminaria, & varia stationes. P. Sedenii ad Manilam excolendam & ornandam industria. II. Religioni parata securitas, detectis veneficis & sagis ejusdem dignitas prodigiis illustrata. III. PP. Didaci Garcia, Raymundi de Prado, & Melchioris Hurtadi mori, & res in juvandis barbaris fortiter ac praeclarè gestæ. IV. Mindanensium prædonum crudelitas: Patrum ærumna. Pietas neophytorum divinis beneficiis remunerata. V. Salomonis insula. Primus ex earum incolis baptizatus in Philippinis. VI. Ita, Xolani, & alii populi ad patrem & Christi Fidem adducti. VII. Michaelis Ayatumi, adolescentis Indi, virtus memorabilis. Præclara vox Philippi II. Regis Catholici de insulis Philippinis. VIII. Primæ Societatis expeditiones in Molucis insulis. Religionis progressus in iisdem & victoria. Opera in secundis Lusitanorum præliis a Patribus navata, in quibus duo ab hæreticis intercepti. IX. Domicilium Societatis in insula Ceylano. Excursio in Cardivam.*

S. I.  
PRIMI SOCIETATIS  
LABORES IN  
PHILIPPINIS.

**L** ACENT insula Philippinæ infra Sinam, inter circulum Æquinoctialem & Tropicum Cancræ. Id nominis habent a Philippo II. Rege Hispaniæ, cujus auspiciis lustratæ & habitatæ fuerunt. Mille ac ducentæ circiter numerantur: exiguæ pleræque ac modicis discretæ fretis. Majores viginti admodum recensentur. Primaria omnium & maxima est Manila, sive Lusonia. In hanc vela cum faceret primus Philippinarum antistes Dominicus Salazarius, è Dominicana familia, quatuor è nostra Societate cum aliis sacerdotibus religiosi anno MDLXXX. secum vexit; nempe PP. Antonium Sedenium & Alfonsum Sancium, aliosque duos non sacerdotes.  
Domi-

Domicilio Societatis Manilano collegii nomen est datum anno MDXCIII. simul varia certis in locis positæ fuerunt stationes, & Socii quadraginta huc illic sparsi recentem campum suis sudoribus irrigarunt. Cum autem à Mexicanæ provinciæ præposito non ita commode gubernari per litteras possent, proprius anno MDXCIV. præses Philippinis impositus est, qui vices partesque Provincialis ageret. Anno MDXCV. accessit supplementum octo sacerdotum, & flagrantibus insulæ Zebuanae incolis collegium est concessum.

Profectus illuc eam ob rem P. Antonius Sedenius non ita multo post obiit morbo, inter Sociorum preces & lacrymas, decimo quàm accesserat die \*, anno ætatis quarto & sexagesimo; vir prudentia, sedulitate, ceterisque summis virtutibus vix ulli secundus. Natus in oppido S. Clementis, quod Hispaniæ Tarracoeni tribuitur & Concheni diœcesi, nomen Societati dederat anno MDLIX. Collegium Germanicum administrabat Romæ, cum à S. Franc. Borgia Japoniæ destinatus venit Hispalim anno MDLXVII. sed paulo tardius; jam enim solverant è portu naves. Aliam igitur Missionem postulanti datur optio Floridae, vel Peruviae. Floridam prætulit, ut arumnarum feraciorem. Neque illum sefellit opinio, ut videre est in Historia Societatis ad annum MDLXVIII. & MDLXXI. ubi ejus ac Sociorum laboriosi, steriles tamen, conatus describuntur; si sterili labor dici potest, quem Christi gloriæ & hominum saluti caritas impendit. Relicta Florida, ubi nulla spes constituendæ religionis affulgebat, missus Mexicum, & hanc Hispaniæ Novæ principem civitatem primus è Societate ingressus, specimen egregium Apostolici viri virtutisque dedit, constituto ibi collegio, quod prudentissime aliquot annis gubernavit. Oblata postmodum est opportunitas coloniæ sacrae Mexico deducendæ in Philippinas. Eò navigavit, novamque stationem triennio ferè toto solus excoluit, Alfonso Sancio ad Sinas semel, iterumque; demum in Europam, ut negotia quædam gravia conficeret à regiis ministris missus: & altero è Sociis inter navigandum extincto. Subiit in eorum locum nova Sociorum cohors, quibus adjuvantibus non modo rem Christianam valde auxit Sedenius, verum etiam publicam. Ac primùm exorsus à templo Societatis, lapideum in urbe Manilana fecit è ligneo, quo more hætenus illic ædificia construebantur, rudi crasseque opere. Necessarios sumptus, & ornamenta non pauca, præbuit inter Hispanos proceres nobilissimus Stephanus Rodericius à Figheroa; censum quoque annuum attribuit collegio, cujus proinde fundator, Sedenius vero prope architectus & opifex merito dictus est. Ipse modum saxa malleo secandi poliendique, lateres coquendi, calcem temperandi, libellam adhibendi, docuit: quæ omnia indigenis nullo pacto; Hispanis parum illic notaerant. Proxima collegii cura fuit eodem fruendi modo: cui rector ipsemet est impositus anno MDXC. Exemplum ædificandi a Sedenio monstratum manavit latius ad urbanas ædes, & propugnacula civitatis, quorum formam & modum descripsit. Præterea, moris confitis, artem serici filii è bombycibus ducendi, texendi, tingendique tradidit, ut sericas merces non esset opus a Sinis magno conquirere impendio; ac natis domi opibus regio tota ditesceret.

Haud minus interim studebat ornandis civium moribus, quam ædibus civitatis ac mœnibus. Itaque cum pietatem fovere studuit variis artibus, tum vero imaginum Deiparæ copiam ingentem curavit pictis coloribus exprimendam; quarum beneficio ejus cultum valde propagavit. Sic omnibus fiebat omnia, commodis omnium & utilitatibus serviens, præterquam suis. Diu in humili ac male materiato tugurio, cum est ingressus Manilam, habitavit. Sermonis, nisi cum de rebus divinis verba faceret; item cibi somnique, parcissimus erat. Ad continuam concionandi, ægris ministrandi, vinctis & calamitosi omni ope succurrendi defatigationem, adjungebat cilicium, flagella, ferreas catenas; idque licet valetudine uteretur incommoda, perpetuo cruciatus asthmate, ideoque somnum carpere sedens cogere. Morbos non alio libentius remedio curabat, quam jejunio; nullam è nostris regulis impensius eâ servabat, quæ continuam in omnibus rebus abnegationem nobis & mortificationem præcipit: nec vehementius quidquam fugiebat ac deprecabatur, quàm ne aliis præesset. Nihil Mexici, nihil

I.  
Collegia Manilanum & Zebuanaum. Variæ stationes.

2.  
Obitus P. Ant. Sedenii, & res præclare gestæ.

\*Primo Septem. 1595.

hil Manilæ momenti gravioris, nisi eo prius consulto, aggrediebantur publicæ rei moderatores; tantum expertæ sapius ac probatæ viri sapientiæ tribuebant!

Ejus ac Sociorum cohortationibus, exemplisque instituta Manila, cum celeberrimis ac religiosissimis Europæ civitatibus pietate certabat. Juventus sobria: miles quiete ac pace gaudens; populus obsequens magistratibus: nulla publica flagitia, & secunda: exempla Christianæ austeritatis in Hispanis juxta & indigenis, nec rara nec levia; pudicitia verò in feminis, illustria. Religio à Manila, sic tantum à capite in circumjectas insulas profeminata est. Nationes pridem incultæ civili societate devinctæ, & Christo pariter adjunctæ sunt: turmatim populi ad divinam legem cognoscendam, ad abluendas salutaribus aquis animas, confluxere. Spectaculum longè gratissimum Patribus præbebat indigenarum pietas, cum mandata memoriæ capita præcipua Christianæ doctrinæ recitarent alacritate mira, & prætereuntibus quasi gratulantes, necdum interrogati, occinerent. Pronunciato Christi sanctissimo nomine salutabant inter se: nec segnius mores ad normam evangelicæ probitatis componebant, moniti videlicet Christianos non lingua tantum ac professione veritatis, sed opere præsertim vitæ cense. Non eadem regulis aliquot ac dynastis pietas.

3.

Duo dynastæ infideles admirabili modo ad Fidem vocati.

\* P/al. 28.

Unus ex illis quidquid prædicaretur de sanctitate religionis, cavillabatur & irridebat; neque præconibus Evangelii superbas aures præbere dignabatur, satis magnum ipsis beneficium datum putans, quod eos audiri, quod vivere pateretur. Sed qui *confringit cedros Libani*\*, barbaros fastus potenti manu fregit. Erat illi filius unice carus. Hic suscepto cum vernula jurgio, ipsi telum adigit in pectus: servus extractum è præcordiis ferrum in adolescentis sinum retorsit; ambo cæsi repente corruerunt. Accurrit infelix pater, & dolore amens, postquam aliquandiu in carissimi filii complexu & sanguine jacuit, ac repetitis vulneribus rabiem, laniando famuli corpore, satiavit, prorumpit domo, & in collectam circa Patrem Ledesmium, de Christi lege dissentientem, turbam ruit. Diffugientibus plerisque, ac notam feritatem extimescentibus, constitit parumper impos animi, obtutu in uno defixus ac silens. Mox arrigens oculos aureque, dicentem de filio Dei, quem æternus pater pro nobis neci devovisset, sacerdotem suspirans audit, & è dulcissimi filii nece divinam in nos caritatem æstimans, profundit lacrymas. Quid multa? pronus humi ad genua Patris accidit, & se Christianum esse velle exclamat. Inopina vox concionem totam admiratione & gaudio complevit. Sacerdos morientis Christi effigiem offert; quam ille complectens, sacra vulnera ore toto deosculatur, & obnixè baptismum petit. Perlata mutationis tam inexpectatæ fama perculit alios ejusdem generis & ferocia proceres. Uxorum greges dimiserunt; male partas restituerunt opes; tumidos minacesque spiritus, quos affare barbaria legum soluta freno solet, submiserunt. Id splendide quidam ex illis præstitit. Eum, ne vicinorum exempla statim sequeretur, tenebant uxores sex. Oratus nequicquam antea non semel, ut hæc vincula perumperet, domum Societatis aliquando venit, quo tempore unus è nostris ad multitudinem circumfusam verba faciebat. Turbæ se immiscuit, velut animi causa, auremque dicenti per ludum & jocum admovit. Vix horæ quarta pars abierat, vociferatur se manus Christo dare, paratum protinus exequi quodcumque juberetur. Mox oblatam à sacerdote, gratiæ cœlestis vim admirante, Crucem amplectens solenne Filio Dei sacramentum, audientibus cunctis, dicit. Nec fefellit fidem: red-dita quinque uxoribus dote, unicam retinuit, quam primo duxerat, ac se plenius erudiendum dedit.

4.

P. Joannes à Campo in expeditione propter Fidem suscepta mortuus.

Hoc lætissimo catholicæ rei cursu incitatus Stephanus Rodericius a Figheroa, Mindanam insulam, inter Philippinas magnitudine & opibus facile secundam, quæ nondum Hispanis & Christo parebat, vel conciliare fœdere, vel subijcere armis constituit. Classem appellit ad littus insulæ. Occurrunt ethnici magno numero, & maritimam arcem impositam monti valido præsidio firmant. Ad eam expugnandam copias admovet Figheroa, exeunte Aprili anni MDXCVI. & jussis militibus animos pariter & corpora procurare, ipse totius vitæ confessionem instituit, ac *pauca fortium* sumpto, procedit in pugnam, P. Joanne à Campo signum Christi

Christi crucifixi gestante sublata manu, ac latus ejus premente. Ibat prima in acie, nudato erectoque vultu; galeam enim capiti, ut circumspiceret liberius, & facilius a suis agnosceretur, exemerat. Succedebant Hispani ad arcem per nemus obscurum, & in declivi colle situm; nec tam cautibus & virgultis, quam hostibus ubique sparsis, impeditum. Celebratur in his regionibus gladiatorum genus quoddam, ad cædes conducitur solitum: Amucatos vocant. Periculi cujuslibet aleam adire audacia desperatissima non dubitant, nihilque pendunt perire, modo, quos destinaverit neci, perdant. Duo hujus generis sicarii ad excipiendum atra in sylvâ ducentem Hispanum subsederant. Progressum aliquantisper, ac juga nemorosa fortiter prensantem unus ipsorum occupat, è virgultis ubi delitescerat, explicans sese: & acinacem librabat arrecta manu, cum proficientem ac manum in vulnus attolentem vidit in tempore Figheroa, & expeditum mucronem in percussoris jugulo desigens, antevertit. Sed instabat inobservatus a tergo percussor alter, qui impactâ ictu valido in nudum fortissimi viri caput securi, medium diffidit, sequentium ille quidem militum gladiis, at ultione sera, confossus. Corpus Figheroæ delatum Manilam, magnificis in templo Societatis, quod exstruxerat, exequiis conditum est. Interim Hispani nequaquam cœpto destiterunt. Accensos luctu & dolore amissi ducis nulla periculi mortisque facies conterruit. Addebat ipsis animos P. Joannes a Campo, qui tribus mensibus ibi consumptis, Evangelicæ militiæ finem & vitæ fecit III. Id. Sextiles anni MDXCVI. Natus Hispali anno MDLXIII. ad Christi signa & Societatem convenerat, anno ejusdem sæculi octogesimo octavo: ingentis animi vir, quamlibet improbo labori par: ad omnes superiorum nutus expeditus, & quodcumque tandem imperarent, nihil excipiens, nihil excusans.

Hujus & P. Antonii Sedenii jacturam pensavit quatuordecim Sociorum Manilam adventus, Kal. Septembris: qui ad rem bene gerendam eò generosius aggressi sunt, quod jam victrix, ac pæne libera in Philippinis Religio regnaret. Ad eam novis muniendam præsidis, institutum est Manilæ in collegio Societatis anno MDCI. Sancti Josephi Seminarium: ad sodalitiæ verò Deiparæ, quod pueris jam additum erat, accessit alterum, constat è civibus virtute præstantibus, quorum & numerus & pietas crescebat in dies. Barbari vicinis in insulis tanta sacri baptismatis cupiditate flagrabant, nullæ ut eos difficultates retardarent, seque mutò ad amplectendam Christi legem, non exemplis tantum & sermonibus, sed præmiis etiam invitarent: tum vero, si quas pristina superstitionis reliquias, si quid faxei aut lignei numinis apud quempiam deprehendissent, illud in plateam publicè comminandum comburendumque deportabant. Modum oratio non habeat, si referre singillatim opera pietatis velim, quibus incredibili ardore perfungebantur. Feria quinta sanctioris hebdomadæ amplius sexcenti flagellis armati piè processerunt anno MDCII. in ædem Societatis Dulacensem. Eiusmodi pœnas voluntarias appellabant nominum solutionem, eorum nempe quæ fiunt cum divina Justitia. Oratione verò & piis precibus, tanquam clypeo, utebantur ad omnia pericula depellenda.

In alias quasdam insulas Patres progressi averfos majorem in modum a Christianis sacris populi animos deprehenderunt. Matres ad primam baptismi mentionem, occultabant filiolos, aut in montes asportabant: viri ne Christi quidem nomen audire sustinebant. Tanti mali fontem aperire divina bonitati placuit. Anus improba, cui cum Erebi satellitibus erat usus familiaris ac domesticus, gentem totam tenebat illis mancipatam. Id è Christiano cognitum denique est; nam ex iis nonnullos in fraudem induxerat. Ad Patres adducta, & variis interrogationibus, ut *mysterium iniquitatis* retegeret, lacescens, demum confessa est sibi ante annos quadraginta oblatam fuisse de die speciem hominis, mortali forma grandiosem; donatamque radicem, cujus opera morbos gravissimos perfanaret. Addebat alia multa partim inepta, partim tetra & infanda: hoc in primis commendatum sibi ab eo dicebat fuisse, ne quis sacerdos Societatis quidpiam istorum resciret. Magnas opes mulier scelerata collegerat curandis morbis, ejusque fama totam regionem pervaserat. Illud ante omnia postulabat ab ægrotis, ut dæ-

5.  
Quatuordecim  
Socii Manilam  
advehi. S. Jose-  
phi Seminaris.

§. II.  
RELIGIONI PAR-  
TA SECURITAS,  
VENERIS DE-  
TECTIS.

monium palam adorarent, cujus audiebantur interdum voces & minæ, si quis ab-  
nueret. Ex quo tamen Patres accesserant, adorari se, nisi clam, non patiebatur;  
rarius veniebat in conspectum vetulæ; nec metum ac dolorem suum dissimulabat.  
Ab eo metu, quem ipsa observaverat, factus illi primus est ad salutem gradus.  
Suspiciere Christianum nomen cœpit, quod Tartarus horresceret: præstigiis de-  
nique Avernales agnovit; veniam à Superis, deinde à populo, in æde sacra  
petiit; ac mulieri Christianæ, ut Fidei rudimentis erudiretur, tradita est.

Detecto fonte, perventum ad rivulos: sagæ, incantatores, magi complures  
deprehenfi convictique, furente hominum hoste prolatas in lucem suas fraudes. Non  
jam audebat in pristina mancipia sævire, ut prius; sed jactabat inanes minas, &  
legem sanctam, ejusque præcones, probris maledictisque desigebat. Plurimum  
auctoritatis illi detraxit hæc imbecillitatis confessio, præsertim cum viderent neo-  
phyti signo Crucis eum fugari ac tremiscere, quem olim ipsi misere pavebant.  
Una ex illis sagis raptari a dæmone & vexari solita, cum errores & scelera  
deposuisset, eundem aspexit ad ostiolum suæ casæ vanos miscentem terrores, in-  
vitantemque ut prodiret. Illa Christi JESU nomen, quod a Patre descriptum  
acceperat, protulit. Exclamare Tartareus prædo, & mille cruces illi, ejusque  
doctori imprecatus, fugere. Narrabant porro magi, cum Stygias referrent artes,  
visum ipsis triumphare tunc dæmonem, quoties illos ad aliquod immane scelus  
perpulisset: in eo præsertim elaborasse, ut odio ac furore impleret animos, &  
ad nocendum mortalibus, ad cædes, incendia, latrocinia, incitaret. Sed ad  
perdendos præ ceteris Evangelii fautores tela sibi non semel ab eo subministrata  
fatebantur. Sane per eos dies Indus, magici dux agminis, intempesta nocte  
domum Societatis subierat, ac molitus fores irreperat in conclave, ubi fessos  
artus imposuerat fratri sacerdos, Missionis præses. Qui, audito murmure, in-  
dicias suspicatus, vigilandi porro partes & orandi sumpsit. Duas horas percussor  
expectavit donec ille obdormisecet; sed victus tædio, jamque abescere diem  
cernens, in jacentem irruit, & adactò quacumque potuit, novies deciesve pu-  
gione, se proripuit. Ad clamorem & strepitum excitati Christiani accurrunt.  
Manantem cruore sacerdotem, & vulneribus deformatum reperiunt; minore ta-  
men exitio, quàm metu; nam lodice opposita, pugionis impetum retulerat. Ne-  
que yero id semel à sceleratis tentatum, sed irritò semper conatu, protegente  
suos Numine. Adjecit unus è nefario grege in animo sibi sapius fuisse faces sub-  
jicere nostris adibus, quæ cum essent lignæ totæ ac stramineæ, ignem momen-  
to concepissent; sed toties tam copiosum decidisse imbrem, ut infecta re disce-  
deret. Alii triginta, veneficiis insignes, quorum crudelitas humana carne, & pu-  
blicis privatisque cladibus pasta dudum erat, pristina flagitia detestati sunt. Mo-  
vit admirationem mulier annos centum egressa, cæca, gibbosa, morbis & cri-  
minibus obrita, quæ falsorum numinum sacerdos, incantamentis ac cædibus præ-  
erat. In extremum usque senium crederes reservatam, ut esset ingens divinæ mi-  
sericordiæ documentum. Rogata quodnam operæpretium fecisset tanta in Tar-  
tareos dominos fide, tam constanti tot annorum obsequio; Maritum, inquietabat,  
filios, cognatos, valetudinem, perdidit. Quamobrem haud ægre adducta fuit ut  
crudeles heros muraret, ac suave Christi subiret jugum. Hoc idem in insula  
Boholana facile persuasum ethnicis compluribus, cum paucos è Christianis suso  
per populum latè morbo extinctos animadvertissent. Nongenti Ecclesiæ per ba-  
ptismum additi fuere. In insula Tanayna, quingenti: ex alijs insulis turmatim  
confluebant, orantes ut edocerentur. Fieri satis omnibus, propter sacerdo-  
tum paucitatem, non potuit. Inventum tamen aliquod huic inopiæ subsidium.  
Delecti sunt è Seminario Dulaceno juvenes bonæ indolis, & virtutis expertæ, qui  
huc illuc exspatiati docerent rudes, periclitantes baptizarent, denique sacerdo-  
tum, quæ fas, supplerent vices. Admirari etiam licuit ac laudare divinam in-  
mutis quinque ad Fidem adducendis Providentiam, Magistrum illis doctorem-  
que dedit neophytum mutum, quem Patres exemptum servitute, vindicaverant  
in corporis animæque libertatem. At ille se vindicibus suis, tanquam mancipium  
fidele, totum addixerat, linguæ vitium industria, pietate, ac diligentia mire-  
com-

compensans. Mutos igitur instituendos suscepit ope certarum imaginum, in quibus mysteria Fidei depicta cernebantur. Illos brevi doctrina cœlesti & sapientia perpolivit: unum præ ceteris insigniter deformem, distortum, pumilum; annis, illuvie ac pœdore, horridum, qui ex hac muta schola talis evasit mensibus tribus, cum ut Patres ipsi, tanquam divinum hominem, suspicerent. Paucis post diebus, quàm ovile Christi fuerat ingressus, ad ejusdem regnum, ut meritò sperare licet, evolavit, repentina quidem, at prævisa, nec dubiis indicis divinitus cognita, morte sublatus.

Barbarorum Fidem divina benignitas portentis confirmavit. Antipolim insulam tanta vis locustarum invaserat verno tempore anni MDCIV. cum pubescunt herbæ, ac flores arborum induere se in fructus incipiunt, ut depastis magnam partem arvis, & anni spe absumpta, non dubia fames immineret. Adhibita sunt a Patribus, quas præscribit Ecclesia, preces, & instructo agmine mediis in arvis supplicatio piè celebrata. Sensit vim precum inimica satis lues: locustæ partim disruptæ, partim in montem vicinum perfugerunt, ubi confectæ inedia contabuerunt, sed fetore tanto, ut nemo illac intendere iter diu potuerit. Spem agricolæ & horrea ubertas vicit. Earundem locustarum alter exercitus post aliquot annos arvis humentibus incubuit. Defixa in editiore loco Cruce, legio infesta, velut receptui canere iussa, procul transvolavit. Aliàs arebant agri, & annum sterilem tempestas justo calidior minabatur. Simul atque salutare Crucis signum palam propositum, & objectum æstuanti cœlo fuit, contexit se nubibus, tantaque prorupit imbrum vis, ut pænè contrariis vocanda votis serenitas sicca fuerit. Crucis annosæ stipitem in urbe Taytayensi nescio quis apposuerat instar fuleri sustentandis ædibus, uxore conscia. Is paulò post moritur: conjux in morbum incidit. Mulierem subiit cogitatio adhibita profanos in usus Crucis, & metus ne hujus delicti pœnas, itidem ut maritus, penderet. Igitur filium vocat, ac pristino reponi loco sacrum stipitem imperat. Quo factò convaluit. His prodigiis rigata Fides ubique radices altiores egit. Itaque in insula Dulacensi sacro fonte tincti sunt grandiores natu ad septingentos; infantes ad mille ducentos. Sequenti verò insulæ dimidia pars gregi Christiano accessit. Reliqua pars eam duntaxat ob causam rejecta in aliud tempus fuit, quòd P. Gabrieli Sancio ad omnes erudiendos otium non suppeteret. Rejiciendum nihilominus, aut differendum non duxit par conjugum: ambo enim centesimum annum egressi tarditatem ætatis ac memoriæ, diligentia, & aviditate discendi utcumque superaverant.

PENURIAM operariorum in iis insulis sublevavit Hispana classis, quæ quatuor & viginti collectos è variis ejusdem Hispaniæ provinciis Socios eodem anno MDCIV. in Philippinas deportavit, suppetias eò latiores, quòd Evangelii ministrorum numerus erat imminutus obitu trium è nostris sacerdotum, ac potissimum P. Didaci Garcia, qui hujus Viceprovincia gerebat curam. Ætatis annum agebat secundum & quinquagesimum, trigessimum vero secundum in ita Societatis, cui fuerat adscriptus in Castellana provincia. Profectus ex Hispania in Peruviam, inde Mexicum venit, ubi tirocinio ac tribus collegiis cum præfuisset, ad visitandam in Philippinis Societatem, ac demum gubernandam vocatus, domum probationis instituit; sodalitates Indorum & xenodochia condidit; Seminarii duplicis fundamenta jecit: unius, in quo indigenarum liberi; alterius, in quo adolescentes Hispani nominis educarentur. Prudentiam & gravitatem suavitate summa & humanitate condiebat: hinc amor hominum & observantia in eum singularis. Dei vero, quem semper ob oculos habebat, amicitiam stringere arctius, vitandis, quantum fert humana imbecillitas, erratis vel levissimis conabatur; implorandaque diligenter ejus gratia, orationis studio, cui multum temporis tribuere consueverat. Quotidianas mortalis vitæ maculas quotidiana confessione detergebat. Negotiis identidem suffurabatur paucos dies, quos in prædio collegii Manilani, procul à strepitu, precando, jejunando, corpore domando, transigeret. Oryza fere ac leguminibus vescebatur, neque dubitabat integrum diem perstare jejunos; cum itineris suscepti ratio ita ferebat, ut opportunitatem sacrificandi capteret. Summa fruebatur animi pace inter gravissimos labores maris, viarum, &

Pppp 2 vale-

6.  
Fides miraculis  
propagata.

§. III.  
PRETIOSA MORS  
ALIQVOT SOCIORVM.

valetudinis: sed hanc pacem non segni cessatione, sed virili rerum adversarum patientia desiniebat. Itaque moriturus prælegi sibi voluit caput libelli de Imitatione Christi, quod inscribitur; *De regia via sanctæ Crucis*.

7.  
Virtutes P. Didaci Garciae.

Ejus animi constantia tunc præsertim eluxit, cum Mindanenses, tanto infensiores Societati ac religioni Christianæ, quanto Mahometanæ superstitionis tendum abduxerunt unâ cum septingentis incolis; ignem sacris injecerunt ædibus, templorum vasa & ornamenta confurcarunt. His auditis P. Didacus Garcia non modo animo forti magnoque stetit; sed Socios etiam, proposita divina voluntatis & Providentiæ gubernatione, solatus est. Legi sine lacrymis & suavissimo pietatis sensu nequit epistola, qua P. Hurtadum affatur. Optat sibi pennas, quibus ad illum pervolare possit, ut amplectatur filium carissimum, ligatum non tam ferreis hostium catenis, quàm aureis divinæ caritatis vinculis. Sat scio, inquit, ferre te animo non solum æquo, sed etiam lato servitute, ob ejus amorem, qui propter te servus factus est; intelligo te *superabundare gaudio in tribulatione* \* tua, siquidem impleri divinam in te voluntatem vides. Hac una consolatione sustentor, cum te a meo divulsam sinu video, dum te dies nocteque flens requiro, nec mei sum præ dolore fatis compos: quæ si culpa est, amoris culpa est: modum ille vix tenet. O si coram alloqui te liceret! si cum hostibus pacisci, ut hunc nullius momenti, nullius frugis senem permutarent tecum, qui pondus diei & ætus in vinea Domini portare potes! Quàm fortunatam ducerem ista conditione senectutem meam! Ut catenas tuas induerem libens; ut emptam bene mea servitute libertatem tuam arbitrarer! Utinam saltem hoc mihi daretur, ut eadem vinceremur catenâ, quorum animi jamdudum arctissimè sunt colligati! Pergit deinde constantiam Patris Hurtadi & patientiam multis effere laudibus; eundem coronam & gaudium Societatis vocat: obsecrat ut oratione crebra, fiducia cœlestis auxilii, consensione voluntatis suæ cum divina, tanquam armis certissimis, ærumnarum molestias expugnet.

\* II. Cor. 7.

Quam adhibere carissimo socio consolationem studebat, hanc ipsemet sibi necessariam esse sensit, cum ad aures accidit tristis, etsi falsus, de nece P. Melchioris Hurtadi nuncius, deque hostium adventu in insulam Boholanam, quam Christiana florentem pietate reliquerat. Eo mæore magis, quam febrî confectus excessit pridie Idus Septembris MDCIV. Conditorem Societatis D. Ignatium eximie venerabatur, cujus ope præsentis naufragii discrimen aliquando effugerat. Ferebatur navis in latentes sub aquis scopulos. Senferant è nautis aliqui peritiores exitium imminens: sed inhibere cursum, urgente a puppi vento, nulla vis poterat. Orto propter instantis periculi metum clamore lamentabili, jubet omnes in genua procumbere, ac S. Ignatium inclamare. Ventus hoc veluti admonitus nomine, ratem in contrariam subito partem flexit. Non absimilem B. Patris opem sensere Societatis operarii, qui anno MDCV. vela faciebant in Philippinas. Cum tota classis portum intraret, valida navis, per gubernatoris imprudentiam, explicitis velis & premente vento, delata est in eam quæ Patres vehebat, multo minorem ac debiliorem. Nihil propius erat quàm ut confringeretur. Tum unus è Sociis, conversa voce ad navim & animo ad B. Ignatium, cujus dies festus agebatur, Siste navis, conclamat, ac recede: Ignatius jubet. Recessit navis, cum abesset duobus tantum cubitis, & certissima clade vectores, metu jam exanimè, liberavit. Novis accedentibus colonis extulerunt illæ insulæ anno MDCV. lætissimas pietatis fruges. In Boholana tres Societatis sacerdotes excolebant octo Christianorum millia: quibus additi sunt eodem anno, & vitalibus aquis renati, ethnici amplius quingenti. Ex iis plerique furdi, quorum est magnus in iis insulis numerus, ne præsidio ad salutem necessario carerent, concionatores illis & doctores surdos pariter ac mutos benigna Dei manus dedit. Nactus P. Raymundus de Prado ante annos aliquot furdum & mutum insigni præditum ingenio, eum nutibus & signis, ad quæ percipienda indolem mirificam habebat, erudit. Instructa docendi ratio, ubi nec magister loquitur, nec discipulus audit. Doctrinam omnem divinæ legis brevis percepit hic furdus, adeo ut nulla dubitandi ratio

tio Patribus relicta fuerit, quin donandus baptismo foret; eoque se non indignum fuisse operibus probavit. Instantem hiante rictu crocodilum, a quo jam plerique fuerant, ut sæpe his in locis accidit, devorari, solo Crucis signo in fugam vertit. Orationi, poenitentia, jejunio deditus, octavo quoque die labes animi sacra confessione purgabat; nullum Fidei prædicandæ faciebat finem, idque tanta vi ac dignitate, ut intus à Sancto Spiritu institutus appareret. Eloquente manu, vocali corpore, docebat, argumentabatur, omnem dicendi artem exprimebat. Læti Patres hominis ingenio ac virtute, illum surdis decem è magno delictis numero præfecerunt, domi nostræ alendis, & sacra doctrina perpoliendis. Ad eos undique concurrerant surdorum greges. Ipsi deinde pagatim obibant insulas, & ad mutam surdamque sæpe concionem verba taciti non irrita faciebant.

His subsidiis Christiana res illic indigebat, in magna paucitate operariorum pro tanta messe: amisso etiam, quem supra nominavi, P. Raymundo Prado, uno è præcipuis hujus Philippinensis Ecclesiæ fundatoribus. Natus illustri loco non procul Barcinone anno MDLVII. jam tum ab ineunte ætate non obscura dederat futuræ virtutis documenta. Mortuo patre domesticas exosus lites, quibus fratres implicitos in mutam exarxisse perniciem cernebat, ad avunculum se recepit, canonicum Barcinonensem, spectatæ probitatis virum: apud quem nactus opportunum otium ad studia litterarum & pietatis, magnos in utrisque progressus fecit, ac Deo vocante, Societatem nostram complexus anno MDLXXVI. præclaras opum honorumque spes religiosæ cruci & paupertati posthabuit. Cum theologiam doceret Valentia, venerunt à Societatis Præposito generali ad collegii rectorem litteræ, quibus jubebatur duos ex auditoribus sacrae scientiæ, Novam in Hispaniam continuo mittendos, deligere. Provolutus ad rectoris pedes Raymundus hanc depoposcit provinciam. Mexicum secundissima navigatione deventus, confecto theologiæ studio, susceptisque sacris Ordinibus, audit parari novam in Philippinas insulas expeditionem. In piam hanc militiam suum exemplo dare nomen percipivit; sed cum jam regendis aliquot nostris in Mexicana provincia domiciliis, magnum præbisset virtutis & prudentiæ specimen, ægerime, nec nisi tertio post anno, dimissus est. Impendit in iis insulis annos unum & viginti, partim erudiendis incolis, partim Societati gubernandæ; bis Manilani collegii præfectura; & annis sex vice Provincialis functus; qui summus ibi nostrorum tunc magistratus erat. Ea tamen occupatione gubernandi nequaquam impediatur quominus omnes operarii strenui numeros ac partes impleret. Quocumque de peccatis audiret confitentes, illos sancto Dei timore ita configebat, ut persusi lacrymis abirent, profususque inducerent animum perire millies potius quam peccare. Emicabat ex ore concionantis ille sacer, quo succensus erat, ignis, & audientium pectora inflammabat. Jejunii, precatione, cilicio, ceteraque carnis afflictatione, mucronem concionis, veluti cote, acuebat: quibus destitutus præfidiis hebescit vulgo, neque istum salutarem perfert.

His artibus credi vix potest quot animas è vitiorum laqueis eduxerit, quot locis religionem ignotam invexerit, aut collapsam restituerit; quot offensiones publicas, odia inveterata, superstitiones, flagitia, sustulerit. Verba de divino judicio facientem audiebant matronæ duæ, mater & filia, dedita ludo ambæ sic, ut modum in eo tenerent nullum; quod familiare Indis vitium est. Adeo fuerunt ejus sermone percussæ, ut animo defectæ viribusque conciderint in frequentissima corona. Domum reportantur; una peccatorum dolore victa exspiravit; altera convaluit quidem, sed aliam penitus vitam deinde vixit. Sexcenta id genus exempla memorantur. Nec viva tantum docebat voce, sed libris etiam in lucem editis, quos magno numero, tanquam mortuos doctores, eò submisit, quò subire non poterat. Portentis, ac prophetico spiritu, servi sui auctoritatem sæpe Deus sanxit. Philippinarum gubernator Gomez Perezius *de las Marinas*, Batavos à Molucis insulis arcere meditabatur. Classem, milites, arma comparabat. Placuit P. Raymundum de belli exitu percontari. Multis ille verbis gubernatorem deterret ne profiscatur; sinistra omnia & infausta denuncia. Nihilominus, urgente milite, & ignaviam Patris incufante, Gomez Superis adversis bellum movet.

Vix

3.

Mors P. Raymundi de Prado, & vita magnis virtutibus ornata.

Vix ingressus erat mare, cum Sinarum, qui vehebantur eadem navi, prodicione, unâ cum suis maclatur. Haud feliciter cecidit res ejus filio Ludovico Perezio, Philippinarum, post obitum parentis, gubernatori. P. Raymundum consuluerat somnio ferali conterritus, in quo se multis affectum vulneribus, oblitum tabo crebroque, & capite manibusque truncatum videre visus fuerat. Pater, Deo consulto, monet illi mortem post paucos dies imminere, nullam interponat moram, quin labes animi quamprimum sacramento expiet. Facturum id se respondet Nonis Octobris, quæ non aberant procul. Serum est, ait Pater. Igitur quarto Nonas. Ne id quidem satis maturum. Nimis verè locutum fuisse Pradum exitus declaravit. Nam pridie ejus diei, orta seditione, Ludovicus ad eam sedandam deputatus est. Istarum præfecturam insularum ambiebat Petrus Sarmientus, qui præcipuum laborem illis in Hispaniam ditionem redigendis impenderat. Sed ut causas, etiam optimas, multum adjuvant munera, miserat in Hispaniam navim, cum auri magno pondere; quo nimirum aulæ regię proceres demulceret. Hujus consilii conscium duataxat unum habebat affinem suum, quem huic navi magistrum imposuerat: nec omittebat interim Deum sacrificiis offerendis, & pecunia in egenos prolixè distribuenda, orare ut felicem navi cursum annueret. Venit ad Raymundum: cui Pater: Quidquid moliris, inquit, Deo perimite, cujus consilia plurimum a tuis dissident. Attonitus Sarmientus expalluit. Pergit Raymundus, & Novum, inquit, dignitatis gradum animo concipis: frustra es: navis, quæ tuas cum auro spes vehebat, periit: alios honores sectari te decet, celestes atque æternos. Mærore defixus & admiratione Sarmientus hærebat metum inter spemque dubius, donec anno demum elapso navim haustam fuisse fluctibus accepit: ommissisque rerum caducarum curis, totum se contulit ad studia pietatis.

Nobilis matrona fortunarum panè omnium jacturam fecerat, amissa navi, quam mercibus onustam Japonicis expectabat. Præcipuum hic angebat illam dolor quòd non suppeteret ea, quæ prius aderat, facultas ad miseriam inopum sublevandam. Brevi suppetet, retulit Raymundus: navicula Mexicum a te missa, damnum istud planè sarciet. Prædictioni fidem eventus fecit. Alius illum consuluit de beneficio Ecclesiastico, cujus in possessionem venire cogitabat. Vetuit omnino Pater, & causas cur ita censeret graves addidit. Verum qui ejusmodi petunt consilia jam fere deliberatum habent quid agant: ac vulgo bona sacra, quo sunt periculi pleniora, eo majoribus illecebris mortalium cupiditatem proritant. Adit beneficii possessionem adolescens; ac confossus a sicariis eadem brevi cedere coactus est. Hunc in modum alii secundis rebus suis, alii adversis, sanctimoniam viri non vulgarem comprobabant.

9.

Studium mortificationis, & humilitatis. Orandi contentio. Preparatio ad sacrificium, &c.

\* Ad Gal. 5.

Tamen erant alia veriora sanctitatis ejusdem argumenta: nempe solida virtutes, quarum perfectionem videbatur adeptus fuisse. Et quoniam iter ad ceteras ea sternit quæ carnem spiritui, spiritum rationi Deoque subjicit, ab illa fuerat auspiciatus, ac poterat inter eos meritò recenseri qui *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis* \*. Tunicam ferreis horrentem cuspidibus corpori circumdabat. Ab amico rogatus quando cilicium esset deponendum: Post mortem, respondit. Memor fellis, quod oblatum in cruce Christo fuit, absinthium ori semper inditum gestabat: hoc uno condimento cibus omnibus suaviter aspergens. Iis autem utebatur adeo parcè, ut jejuniis ali videretur. Molestissimos culicum ac vesparum aculeos ferebat immotus: nunquam oculos in cujusquam seu viri seu femine vultum intendit. Societatis domos curæ suæ commissas longissimo sæpe disjunctas intervallo, lustrabat pedes; nullo contra solem imbreve munimine. Cum ceteras cupiditates, tum vero studium honoris egregiè domuerat. Quidquid erat infimum & hominum opinione despiciatissimum, eo delectabatur. Suarum confessionum, D. Augustini exemplo, indicem perscripserat: id se facere præfatus initio libelli, ut gratias ageret Deo, qui tam inutilem ac nequam servum non tolerasset modo, verum etiam innumeris beneficiis ornasset. Verus humilis, inquietabat, non humilis videri, sed vilis cupit: nec tantum quis modo sit, sed quis esset Deo beneficam subducente manum, cogitat: condemnat neminem,

minem, quia se reum ipse credit: eminus aliena cernit delicta, cominus sua; quæ proinde majora videt. Viam porro ad consequendam humilitatem hanc brevissimam aiebat esse, si quis Dei dotes infinitas, itemque sua vitia, singillatim attentâ cogitatione versaret. In iis duabus ipse cogitationibus totus erat, neque ad orandum accedebat, nisi prostratus humi; veniam peccatorum, instar publicani, flagitans; indignumque se, qui veniret in conspectum divinæ majestatis, ducens: deinde præclaram quandam Numinis dotem, in aliquo fere Christi vitæ mysterio elucetentem, contemplans, in suavissimos affectus amoris, gaudii, laudis, prorumpebat. Die Dominica sistedebat se Deo & offerebat ut opus opifici: die Lunæ ut reum judici: Martis, ut debitorem creditori: Mercurii, ut domino servum; Jovis, ut discipulum magistro: Veneris, tanquam egenum amico locupleti: Sabbatho, ut Patri filium prodigum. Ex ejusmodi meditationibus sacrum colligebat ignem, quo, quidquid ageret loquereturve, totus inflammabatur. Crebrò per diem recipiebat se ad orandum, ac Deum in intimis animi penetralibus complectens adorabat, alloquebatur, consulebat, familiaritate summa & veneratione. Oranti sæpe oboriebatur divina lux, eventusque rerum futurorum aperiebatur. Biennio antequàm è vita cederet, cum in cubiculo instaret precationi, sub mediam noctem, V. Nonas Octobr. ac S. Francisco supplicaret uti Manilam patrocinio suo tutaretur, subito attonitas aures impulit militaris clamor. Irrumpebant in oppidum Sinæ ex improvîso. Simul vidit eundem D. Franciscum stantem pro muris, & hostium impetus ac tela retundentem. Procurrit è cubiculo, ad arma conclamat, omnes ad rem bene gerendam accendit; victoriam, duce Francisco & auspice, pollicetur. Nec dictis fides absuit. Hostes repelluntur ingenti clade; civitas victrix gratiam habuit monenti Raymundo, & D. Francisco protegenti; quem patronum adscivit, diemque ipsi sacram, ad perpetuum tantæ victoriæ monumentum, insigni deinceps pietate celebravit.

Nunquam rem divinam faciebat nisi lectione multa præparatus; itemque peccatorum confessione, quam obibat veluti moriturus; demum attentâ mysterii admirabilis meditatione. Quod si negotia sinerent, matutinum omne tempus gratiis agendis, & colligendis epuli divini reliquiis collocabat. Indictas sacerdotibus diurnas nocturnasque preces genibus nixus persolvebat; & quidem statâ, quæ singulis vulgo attribuitur, horâ, occupatione qualibet alia omiſsa vel intermissa. Versiculum *Gloria Patri*, &c. quotidie centies quinquagies, admista quindicies oratione Dominica: præterea Rosarium B. Virginis, ejusque, ut vocant, Officium recitabat. Estque permirum tot in negotiis, itineribus, periculis, opportuna tam prolixis precationibus tempora suffecisse. Sed nimirum sanctis, orare idem ac vivere est. Robur & solatium, in adversis æque ac prosperis, hauriebat tum a Christi vulneribus, tum a Mariæ uberibus, Augustini opinor, verba suaviter usurpans: *Hinc pascor à vulnere; hinc lactor ab ubere, postus in medio.*

Unum illi accidit permolestum, quodd incensam corporis afflictiandi cupiditatem ipsius moderatores certis finibus, iisque, ut arbitrabatur, angustiis, circumscriptissent: sed Christum audivit his momentem verbis; Si mea voluntas ita fert, quid laboras? hanc sequere & quiesce. Rursum ab Indorum salute procuranda, quorum causa tot maria emensus, tot periculis perfunctus fuerat, se ad Hispanos juvandos traduci agrè patiebatur. Hac perturbatum cogitatione idem Christus JESUS, cui se totum offerebat, visus est non læto, ut solebat, vultu & exporrecto, sed subobscuro & subirato intueri. Raymundus extemplo vim lacrymarum profundens, quid admiserit noxæ rogat; pacem ac veniam precatur. Tum Christus: Totum te, inquis, mihi mancipas verbo; reipsa te tibi servas; neque Hispanis, cum jubeo, navas operam, ad Indos proclivior. Quia ex oratione intellexit, in quo virtutis veræ cardo vertatur; nimirum in divina voluntate, quæ religiosi viris per suos præsidis innotescit, implenda: in eoque præsertim divinus Spiritus perfectæ sanctitatis artifex elaborat, cum animas *Deo dignas* fingit, ut eas quasi se ipsis exuat, suæque spoliatas voluntate, totas divinâ velut induat. Hinc easdem adversis rebus, morbis, tentationibus exercet; in quibus nihil occurrit, quod ament, præter Deum, ejusque sanctissimam voluntatem.

tatem. Hujusmodi periclitaciones Raymundo nostro non defuerunt, in quibus incredibilem patientiam præ se tulit. Cum Societatem in Philippinis per sex annos gubernasset, sodalitatem B. Virginis a se conditam in Manilano collegio regendam suscepit, perrexitque civitati verbo exemploque prodesse. Id agentem gravis morbus occupavit anno MDCI. A medicis depositus totum enimvero se Numini permisit; ejus lumine collustratus, rescivit productam sibi vitam ad annos quatuor, ut repositam in cælo coronam justitiæ, novis ornamentis augetetur id quod sacerdoti adstanti liquidò confessus, morbum brevi excussit, & alacritate nova contendit ad metam. Cœlestis patria, Dei felix conspectus, summi boni possessio, in oculis diu noctuque & in votis erant: quibus desiderii totus æstuans cum optatissimum adesse tempus *dissolutionis suæ* sensit, rediit in urbem è villa, in quam, ut vacaret liberius orationi, secesserat; salutavit amicos, & sacramentorum instructus prædiciis, obdormivit in Domino, XIII. Kal. Martias anni MDCV. Funus non tam civium luctu, quàm virtutis prædicatione, celebratum est. Offa post annos decem, ut nobiliori loco reponerentur, effossa suavissimum odorem spiravere. Non pauca referuntur miraculis affinia, quæ singularem ipsius apud Deum gratiam declarant: nos exemplis ejus virtutum gloriari potissimum & accendi par est. Ea stimulos acriores addiderunt Sociis per istas insulas religionem curantibus, inter populos moribus, locis, linguis disjunctos; plerosque etiam crudelitate insignes, a quibus magnæ sacris profanisque rebus clades identidem importatæ.

§. IV.  
MINDANENSIVM  
PRÆDONVM CRU-  
DELITAS. PA-  
TRIVM ÆRUMNÆ.

MISSIONEM Ogmucensem P. Christophorus Ximenius summa in pace gubernabat, cum tristis affertur nuncius instare Mindanenses prædones, & omnia ferro ac flammis excindere. Oppidum momento vacuum, civibus in montes & spelæa dilapsis, mansit: quos onustus pia sacra suppellectilis sarcina secutus est Ximenius. Biduo inter continuos metus, in rerum omnium penuria, traducto, ad urbem finitimam descendit, ut Christianos, si qui manus barbarorum evassissent, solaretur, periculi ac mortis contemptor. Urbem incensam reperit & inanem. In Porum insulam, eadem Christi caritate urgente, procurrit. Omnia pariter vastata, flammis consumptam Societatis domum cum templo deprehendit. Subit in abruptos montes, eosdem cadaveribus constratos videt. Gemitum & clamorem aspectus tam teter expressit. Agnovere vocem pastoris oves paucae in intimis abdita cavernis. Prodeunt è latebris Indi enecti fame, confecti plagis, spirantia cadavera. Flentem flentes complectuntur, & narrant, cum in templum die Dominica convenissent, nona Kalendas Novembres anni MDCV. hostem irrupisse in imparatos: pedibus arreptos infantes, & allisos ad saxa juvenum partim devoratos artus recenti calentes nece, partim sale conditos, & in dolia coniectos, dulcia ferinæ gulæ pabula: è captivis quosdam ad palum alligatos, circumstantibus denso agmine viris, mulieribus, pueris: qui omnes acutis armati arundinibus nuda corpora tandiu pungebant, dum vita cum sanguine efflueret: ita suis numinibus sacrificare solent. Abductos alios, ut mortuorum sepulchris infoderentur: sic ornare gaudent funera suorum principum, insigni crudelitatis exemplo, quasi parum illis esset scire dum vivunt, nisi etiam mortui vivos perimerent. Sacerdos deplorata tot innocentium victimarum calamitate, curas ad opem superstitibus ferendam vertit, & in Zebuanam properans, inde cibos, vestes, & alia fomenta devexit. Non defuit singulare in tanto luctu solatium; pueri ferè omnes, paucis ante stragem illam diebus, fuerant baptizati: adultos Ximenius quasi futuri præcius, salutaribus instruxerat consiliis; ac potissimum docuerat quonam pacto formandus esset perfectus peccati dolor, quam contritionem vocant.

In eandem Zebuanam insulam ante aliquot menses profugerant pulsi ex Amboino & Moluco Socii cum Christianis. Hollandorum classis expositis in Amboinum copiis nono Kal. Martias anni MDCV. Lusitanam arcem deditione ceperat. Templum cum Crucibus diruta: iussi Lusitani ac sacerdotes Societatis certa die cedere insulâ. P. Gabriel Crucius & Laurentius Massonius, committuntur æstuoso mari sine navarcho, sine viatico: uno duce itineris Deo, cujus patrocinio ac tutela freti, exacto mense Zebuanum portum sospites tenuerunt.

Interim

Interim Hollandi successu feroces, de capiendo Moluco, a qua insula vicina invenerunt nomen, deliberant. E Lusitanis, qui capere possent arma, pauci supererant; ceteri bello, quod cum Ternatinis dudum gerebatur, confecti perierant, aut vulneribus debilitati jacebant. Arx tamen utcumque munita, nec impar hosti. Adfuit Batavus cum navibus decem, ab instrumento nautico atque militari paratissimis. Ac primo quidem naves Lusitanas in ipso portu occupat incenditque, non sine acri & cruenta pugna. Triduo deinde toto arcem tormentis majoribus terra & mari quatit: sed repellitur, & in suas usque naves retruditur. Redibat Lusitanus victor, cum hostem alium longe immaniore in arce reperit, nempe ignem. Is, casu an prodicione? injectus cados pulvere sulfurato refertos comprehendit, ac tecta, viros, arma, in auras & mare projecit. Restabat una Lusitanis fuga. Recipiunt se ad amicum Tidoris insulæ vicinæ regem, cum Patre Ludovico Fernando: inde Siam & Oronem insulas prætervecti, Zebuan gravissimis perfuncti periculis attigerunt.

In aliis insulis, ubi pax, aut minor ab hoste metus, gesta res Christiana fuit feliciter: cumque certus ac facilis è puerorum institutione fructus capiatur, Seminarium est conditum in oppido insulæ Boholanæ primario. Non levem initio moram injectit caritas & indulgentia barbarorum erga liberos, quos à se avelli, & unam in domum includi ægerrimè patiebantur. Ad hæc metuere se dicebant ne familia spem propagandæ sobolis amitteret, si pueri evaderent sancti. Sic appellabant coelibes, quales nonnulli visuntur in hac barbarie, post investam Christianæ castitatis sanctimoniam. Multa narrantur annis MDCVI. & MDCVII. argumenta tum divinæ bonitatis, ethnicos ad se se allicientis, bene de illis mendo; tum justitiæ & severitatis, improbos castigando. Dynastes oppidi Labocensis, summo inter illos loco natus, hausto inter hostiles epulas, ut mæsta familia suspicabatur, veneno conciderat semianimis, totoque convulsus corpore ac depositus jacebat. Sacerdos Societatis prope accitus, ut peccata confitentem audiret, miseratus ætatem juvenis, & parentum affiniumque circumstantium lacrymas, profert è sinu imaginem Sancti Ignatii, ac morientem hortatur ut eise commendet. Assurrexit ille præter omnium spem, ac postridie valens atque integer ad ædem sacram, propinquis gratulantibus & comitantibus, processit.

Crocodylum immanem vicina gens colebat instar Numinis, metu in religionem, ut fere fit, verso: totam enim hanc oram crudelis bellua devastabat, hominibus ac pecore diram explere ingluviem solita. Hanc tamen Indi quidam audaciores, hortantibus Christianis, in insidias pertractam ceperant, mactaverantque. Latus tam opima præda sacerdos Societatis detrahendam pellem belluæ censerat, & in palo suspendendam, ut esset victæ infidelitatis trophæum. Reclamantibus universis, & avita superstitione nonnihil percussis, regulus in omnium conspectu pelle crocodylum exiit, ac ferale spoliolum laudanti sacerdoti obtulit. Triumphantem re tam fortiter gesta inopinus casus conturbavit. Ejus cognatus, catholicorum ingens columen, morbo gravi adductus est in summum discrimen. B. Ignatius fortissimi viri fidem & pietatem suo carere præmio passus non est. Ab eo invocatus ægrotum donavit repentina salute, regulum gaudio cumulavit. Uni fuit homini collatum hoc beneficium, en aliud toti datum oppido. Excitatum casu, an scelere? incendium jam domos aliquot hauserat. Flammas vires addebat ventus vehemens. Trepidare miseri cives, igni repagula & quas poterant moras objicere; demum partem urbis unam exscindere, ut fervarent alteram. Ignis nihilo fecius, multa strage ferocior, templum carpebat, cum Patres in genua provoluti nomen Ignatii supplices inclamant. Advolans adversa de parte ventus repulit flammam, urbemque reliquam ac templum servavit. Simile beneficium Laboanis civibus effigies ejusdem Ignatii contulit. Coortus inter densas arundines ignis urbem invaserat. Voracibus flammis opposita felix imago repressit furentium impetum, velut interposito aggere: ac simul conversus aliam in partem ventus in carecta invitas retorfit. Christi vero ac Deiparæ sacra nomina, salutare Crucis signum, certissima erant barbaris, quidquid instaret periculi, præsidia. Prono flumine devehebatur adolescens in cymba. Erupit ex aquis crocodylus, &

10.  
Seminarium Labocense. Beneficia divinitus barbaris concessa. S. Ignatii patrocinium.

inermem imparatumque hianti rictu perit, Ille, sublatis in coelum manibus, JESUM ac MARIAM inclamat. Bellua, tanquam fulmine icta, in undas subito se demersit. Ethnici, cum pingues Christianorum agros læris ridere messibus cernerent, & ab omni calamitate tutos, protegente segetes Cruce, quæ plurima limes arborum ornabat, sacerdotem adierunt, orantes ut sibi quoque liceret suis in arvis, macie multa confectis, ac diu sterilibus, Cruces desigere. Annuat, haud dubie sperans futurum ut qui Crucem diligere cœpissent, ejusque vim beneficam experiri, Crucifixum brevi venerarentur & amarent. Ejusdem sacrosanctæ Crucis, nec non aquæ consecratæ beneficio inveniebant remedia domesticis quarundam stirpium & animalium venenis. Camandagia illic arbor est frequens, cujus succo inficiunt sagittarum mucrones, & venenum præsentissimum iis allinunt. Eadem arbor sua contage humum circumjectam ita depravat, nulla ut ibidem alia possit succrescere, aut si quæ illuc transferantur aliunde, statim arcescant. Ejusdem frondes in mare littoribus vicinum decidunt, quibus pisciuli dum vescuntur, venenum toto corpore combibunt, incolumes ipsimet; sed illud iis afflant a quibus fuerint comesti. Sunt diræ aspides, & angues alii tam pestiferi, ut levissimo vulnere necem certissimam ac citissimam afferant.

## S. V.

SALOMONIS INSULARUM PRIMUS EX FARUM INCOLIS BAPTIZATUS.

His pestibus ac venenis carent insulæ non procul disjunctæ, Salomonis vulgo dictæ, è quibus accessit in Philippinas per id tempus juvenis, & primus, ut fertur, ex ea gente, felicibus auspiciis ad Ecclesiam aggregatus est. Sunt illæ insulæ in ducentesimo longitudinis gradu, & in octavo latitudinis Austrina. Peruanam oram, vastissimo interjecto mari, spectant. Cœlo utuntur saluberrimo, divite ac feraci solo, quæ sortasse causa fuerit illis imponendi nomen ditissimi Hebræorum principis. Res tamen famæ nominique vix respondet; sive mutata, ut sæpe usu venit, locorum natura sit; sive commercii, propter longinquitatem, difficultas curam soli per se se fertilis colendi & facultatem posteris ademerit. Ex illis insulis anno MDCVII. ad Philippinas navis Peruana, Hispanos cum Salomonensibus aliquot indigenis detulit. E vectoribus cognitum est accuratius quàm antea, quis earum sit insularum situs, quibus ventis obnoxius; quæ cœli, quæ incolarum indoles. Hinc magna spes affulsit & cupiditas Evangelii ad eos deportandi. Felices pariter gentis Pampangæ, in Philippinis, primitiæ oblata Christo fuerunt eodem anno. Indus neophytus mancipium in ethnici casa deprehenderat gravi affectum morbo, & prope conclamatum. Rogavit herum ut pateretur hominem ad Societatis ædem, quæ non procul aberat, deferri baptizandum priusquam animam ageret. Risit ethnicus ferociter; & Quem tu mihi, inquit, baptismum narras? Nemo unus adhuc è nostra gente (Pampangus erat) hæc peregrina suscepit sacra; hincine ut primus omnium illis initietur? Penes me sit, dum spirabit, volo, nec alia religione imbuatur quàm mea. Atqui hunc cœlo tamen destinaverat rerum arbiter Deus. Merces quasdam Indus secum deferebat, ac præsertim lintea munda & eleganti filo texta. Nullum, ait, ex hoc mancipio brevi morituro capere jam fructum potes: illud mihi sane vendas: pretium do, hæc duo lintea. Inductus conditione tam pulcra ethnicus, annuit: statimque sublatum in humeros mancipium Indus sacerdoti defert. Eruditur, quantum erat satis, baptizatur, moritur, æterna donandus libertate ac regno. Uter felicitior? servus tam fortunata morte, an barbarus tam præstanti caritate?

## S. VI.

XOLANI, ITÆ ET ALII POPULI AD CHRISTUM ADDUCTI.

At Christum, ejusque sanctissimam legem, ab aliquot annis habebant sane cognitam Xolani, Itæ, Mindanenses, aliique Philippinarum populi: sed cum armis animisque dissident ab Hispanis, vix ullum culturæ locum dabant. Tandem, singulari Numinis beneficio, feroces animos pacis, otii, ac religionis desiderium subiit, Xolani fœdus & amicitiam primi expetierunt. Missus fœtialis, gentis princeps, litteras sui regis in medio Hispanorum confessu recitavit. Erant scriptæ in hanc sententiam, *Sic habeto, hunc in regno meo secundum dignitatis locum obtinere: quod ille dixerit, a me dictum puta. Pacem, si aequitati faveris, mecum, ut opto, perpetuam pange. Iuratus dabit fidem, si necesse est; sed a te jurato vicissim accipiet. Hunc, pro eo ac dignum est, tractabis, & ad me quamprimum remittes. Vale.* His litteris perlectis, præfectus classis Hispanæ, vocatis in con-

filium

filium proceribus, capita fœderis ferendi descripsit: a Legato probata & utrinque jurejurando firmata sunt, explosis ex omni classe & arce Zebuana, ubi hæc agebantur, militaribus tormentis. Raram habuit pacem regius Philippinarum senatus: & novus Evangelio campus feliciter apertus est. Exemplum à Xolanis proditum secuti sunt biennio post Mindanenses, postquam illorum insanus furor luctuosas non uno in loco strages dedit, præsertim in insula Carigarana: Boholanam enim tutela Deiparæ servavit. Imminebant Laboco, primario insulæ Boholanæ oppido, ubi tres Societatis sacerdotes cum duobus rei domesticæ adjutoribus versabantur. Cum vix quidquam opis humanæ suppeteret contra vim prædonum infestam, Socii divinam enixius implorarunt, seque ac totam insulam contulerunt in fidem ac tutelam Beatissimæ Virginis. Hostium numerosa classis in Labocensem portum invehitur. Occurrit Hispana, navium hominumque numero longè inferior. Committitur prælium, barbaris victoriam læto tibiarum strepitu præcipientibus. Cæsi quadringenti, ceteri fugati disjectique. Rediere post paulo, refectis navibus, vocatisque in belli societatem Indis finitimis. Eadem auspice Deipara classem maximam, à ventis furentibus, & quasi compositò inmissis, raptam scopulisque impactam amiserunt. Non eadem fors insulæ Carigaranae fuit. Hostis ingruit ex improvviso, campis intulit vastitatem, ædes sacras incendit, oppida æquavit solo: magnum Indorum numerum in servitatem abduxit. Vix barbaras effugit manus P. Franciscus Encinas. Audito adventu hostium sacram convasavit suppellectilem, & se in pedes cum Indis paucis locorum peritis conjecit. Per montium abrupta juga, silvarum anfractus, amnium instabiles arenas, carpebant iter sævum & horridum. Premebat fugientium vestigia hostis pertinax; at illum Indorum velocitas, quibus etiam timor alas addebat, elusit. Recepit se tandem ad naves; & ex antris, latebrisque nemorum prodierunt Indi, defatigatione exanimis & fame. Pater ad urbem Baibaum flammis consumptam festinavit, vulneratis & moribundis opem laturus. Ambusta & truncata cadavera, prorutam ædem sacram, comminutas Divorum effigies, & concremati templi cineribus permistas, summo cum dolore vidit. Alia insulæ oppida eorundem prædonum crudelitas desolavit. Patres cum aliquot indigenis agrè servavit fuga. In ea vero nihil æque molestum sibi accidisse testabantur, atque hirudinum copiam incredibilem in palustri solo, quæ à cruribus in reliquum corpus evadentes, sanguinem ita exsugebant, ut ipsimet barbari exangues medio in itinere sæpe conciderent. Porro humida & humilia inter fugiendum sectabantur loca, ne vestigia humi relinquere impressa, & noscenda hosti; tum etiam ut ne superare cogerentur montium capita, præruptis aspera cautibus, & sentibus hirsuta.

Hostes alii Manilanum collegium prope dejecerunt anno MDCVIII. Inanis ventorum turbinibus concussi fuere parietes, excussa tecta. Sedato vento, pestis domestica comminuit trabes, quæ totam fabricam continebant, ac parum abfuit quin iis putrefactis ædificium corrueret. Bestiolas ibi procreat humus formicis haud absimiles, Anaes vocantur ab indigenis. Illæ noctu adrepunt ad summas domos, & durissima quæque tigna conterunt, ac silentio vorant. Porro iter sibi fornicatum, agglutinata parietibus cœnosa quadam materia, conficiunt instar angusti canalibus, quem si destruas, alius nocte insequenti tenacior conficietur. Est enim earum numerus pænè incredibilis. Pars remedii est maturè pestem deprehendisse. Nec desunt genti artes ad eam avertendam. At contra sævos ventorum turbines remedii vix quidquam est. Iis in agro Antipolitano dejecta Crux fuerat. Contractam agricolæ reposuerant in vicino prato. Exactis aliquot mensibus, cum urerentur campi post messem, & inutiles culmi, Crux inter illos abdita, etsi ob vetustatem sicca & arida, flammis tamen intacta mansit. Venerationem pristinam auxit hoc prodigium. Concurrunt, reportant sacrum lignum in ædem proximam. Onus subiit Indus nobilis diuturna laborans febris, quæ salutaris ligni contactu fugata est. Vim divinam sæpius experta plebs inde assulas defecuit, quibus adversus quoslibet morbos tanquam præsentissimis utebatur amuletis. Mulier septem jam annos carebat oculorum usu. Pulverem vitalis ligni aquæ admiscuit: hoc luto linivit oculos, & vidit; civitate tota vidente ac mirante. Puer

moriturus eodem remedio curatus est: plerique alii perfanati. Tot prodigiis attoniti de Christiana religione suscipienda consularunt, vocatis sacerdotibus Societatis, Ita, sive Aya, natio planè barbara, belluarum more silvas concursans. Prædam nacti venatu quæsitam aut piscatu, tandiu consistunt in eodem loco, dum ea vescendo consumpta sit. Noctem æstate ducunt acclines arboris trunco, & ramis protecti: hyeme luculentum accendunt ignem, cineres præalios hinc inde amovent, & humum in medio calefactam pro lecto habent, prunarum vallo utrinque septi. Mortuos abjiciunt insepultos, escam alitibus ac feris; nec eos ullo vel privato vel publico luctu prosequuntur; tantum id cavent ne locum alicujus morte funestatum per quatuor aut quinque annos terant. Agrotos pariter ibi destituunt, ubi morbus illos occupaverit, modico cibo apposito: ac si forte convaluerint, tanquam lemures aut emerfos ex inferis manes, fugitant. Bella pugnasque nesciunt: si quid cum vicinis populis oritur jurgii, hostes excipiunt infidiis, fatisque sibi factum putant, si cujuscumque ex illis præcisum caput auferre possint.

II.  
Divina bonitas  
& providentia  
in vocandis ad  
Fidem barbaris.

In iis, aliisque ethnicis ad Fidem adducendis, aut in ea conservandis enituit suavissima divina Providentiæ benignitas. Evocatus sacerdos ad agrotum juvandum, in viam se dederat, cum Indis duobus itinerum peritis. Error improvisus illos a recto tramite abduxit in desertam casam, ubi languidus jacebat senex. Quem Pater benignè compellens rogat ecquid adscribi filiis Dei velit. Ego vero, inquit senex, nihil malim: quid opus facto tandem est, id boni ut consequar? Aderat Patri juvenis ex eorum numero, qui vicatim doctrinam Christianam tradebant: huic senem erudiendum reliquit, donec ipse ad agrotum excurreret. Reversus, salutis fonte senem tingit. Diem unum duntaxat superstit. Duo è nostris dum præter pagum irent, aliò properantes, audiunt de infante recens mortuo. Uni ex illis venit in mentem inspicere cadaver. Speculati projectum temere infantem, vivum adhuc reperiunt. Baptizatus vivere inter illorum manus desit, seu potius vivere beatam ac sempiternam vitam cœpit. Miraculi plus habuit Inda mulier. Profiteri nomen inter Christianos ardebat; sed vix ullam necessariam doctrinam partem surdis admittebat auribus: sive illas grave senium, sive morbi vis obtuderat. Biduo post, cum familia tristis veluti mortuam ploraret, jamque esset insuta funebri reticulo, ut solent mortuos componere; affurgit; narrat deductam se ad regiam micantis auro fores, sed rejectam a nobili matrona, quòd Christianorum doctrinam ignoraret: simul ab ea doctam preces ab iis recitari solitas; quas, omnibus stupentibus, expedita & alta voce recitavit. Tum se commodè Crucis muniens signo, quod ut formaret nunquam institui potuerat, multa de Christi lege præclare disseruit, ac baptismo expiata, mortem iterum, ut multi putaverunt, obiit.

Sacerdos, oppidulo lustrato, cum propere ad vicinum pagum pergeret, in agrotum incidit sacri baptismatis percupidum. Pater metuens ne longiore in eo erudiendo moram traheret, neque tam gravem suspicatus morbum, neophyto dedit negotium ut illum imbueret primis Fidei elementis. Orare interim ager & obtestari ne se in tanto discrimine desereret: cumque promissam vicinis pagis operam Pater obtenderet, repente nubibus adductis tam densus imber est effusus, ut coactus fuerit tandiu consistere donec illum pro necessitate captique eruditum baptizaret, ac cœlo morientem statim inferret. Puella tredecim admodum annos nata, & gravi oppressa morbo, deportari Ogmucum voluit ex insula remotiore, ubi vix auditum Christi nomen erat, negans mori se, nisi Christianam posse. Admonitus sacerdos, quamvis ad rem divinam faciendam, expectante populo, se accingeret, accurrit ac semianimem baptizavit, quæ prius vitæ, quàm illi sacrificii, finem fecit. Alius è nostris ex oppido Tuborensi Talibongum petens, phaselum conscenderat, Zephyro leniter aspirante. Mutatus repente ventus naviculam in ostia fluminis Inabagnæ ferociter compulit. Sacerdos, omisso parumper instituto itinere, pagum in ripa situm lustrat, de agrotis percontatur. Oblati sunt ei tres infantes recens nati, & animam agentes. Quos postquam vitali abluit lympha, ventus quasi suo perfunctus munere, conticuit; ipse lembum & iter placide

cide repetiit. Hispana oneraria furente Austro in altum provecta gravi dulcis aquæ penuria laborabat. His in angustiis, dum a sæviente pelago naufragium, a siti mortem omnes timent, monetur Indus Philippinensis ut ab interitu sempiterno baptismi ope se vindicet. Faciam, inquit barbarus, si baptismus afferat aliquid mihi præsidii contra sitim. Affirmantibus Christianis vectoribus id facere Deum negotio nullo posse, credit: institutus & baptizatus est. Sub vesperam tantus imber decidit, ut non solum ad satietatem omnes ex longa siti se recreaverint, sed decem & octo aquæ pluvix dolia impleverint.

Hæc divinæ Providentiæ documenta, salutis animarum tam suaviter, tam attentè consulenti, addebant animos Evangelii præconibus ad ærumnas, quæ instabant quotidie, fortiter exhauriendas. Grave illis periculum anno MDCVIII. creatum est à Baylanis, quas gentis antiquas sacerdotes esse diximus, nec superstitionis minus quàm scelerum magistras. Stipata sicariorum globo cædes edebant promiscuas; & paucis diebus triginta homines, per noctem ac tenebras, impiarum consiliis aut ferro perierant. Vifum Patribus est externam vim nefariis conatibus opponere. Admonent insulæ Zebuanæ gubernatorem. Adest miles expeditus. Baylanæ, re cognita, conjurant in Hispanos & Patres Societatis: ducem inter sicarios opibus & audacia præstantem eligunt; qui, collecta perditorum manu, irrumpit in Hispanos ex improviso. Illi & numero & virtute superiores, ductorem insani agminis corripunt, ceteros armis exuunt. Discussa tempesta putabatur, & nonnulli regis administri subierant ergastulum, ut sicariorum ducem ad pacem, ac si qua fieri via posset, ad Fidem perducerent. Instruitur cena. Vix accubuerant, cum ex iis furiosus unus profilit, & arrepto famuli adstantis pugione, in obvius ruens, sex è primoribus Hispanis ferit, quorum quatuor paulo post è vulneribus occubuerunt. Comprehenditur parricida, cumque minas adhuc intentaret, gladio transfixus dejicitur: alii duo ex infelici arbore suspenduntur. Impetus illicò factus in Baylanas, tot flagitiorum auctores. Vinciuntur quadraginta, & vicatim flagris conciduntur. Sed, quod mirari nemo satis queat, quas efferare debebat ignominia supplicii, mitigavit; ac scelera detestatas profus immutavit. Sic illis salus, regioni verò pax & quies, divinæ benignitatis miraculo parva fuit.

Hinc facile intelligitur quo animi robore, qua firmitate virtutis munitos esse conveniat sacerdotes, qui se caputque suum in hæc discrimina offerunt. Hanc animi virtutisque constantiam perspicere licuit in P. Melchioro Hurtado Toletano, qui ante annos decem in summo sævientis morbi astu, cum se voto Missionis ad Philippinas insulas suscipiendæ obstrinxisset, præter omnium spem morbum depulerat. Voti reus illuc una cum P. Didaco Garcia Visitatore venit, & memor sponsonis, nulli pepercit operæ ac labori ut fidem datam exsolveret. Servitutem durissimam inter Mindanæ prædones anno ferè integro pertulit; utque hostibus immanissimis referret gratiam, ad eorum linguam perdiscendam totum se contulit, quo prodesse ingratis posset. Vindicatus in libertatem, ac Manillam reportatus, enixè petiit ut rediret ad eosdem, acturus de pace. Ivit, ac nefarios illorum impetus anno toto coercuit. Quo tempore instar mancipii vilissimi tractatus, opprobriis ærumnisque, ut sacra voce utar, *saturatus*, oblatam amplexus est occasionem erudiendi Tagalos, Bisayos, Malayos, & Ternatinos; præter Mahometanos complures, & indigenas Christianos. Inde revocatus, postulavit in summi beneficii loco ut liceret sibi ad Pictos, nationem vicinam, commigrare cum certo servitutis periculo. Exoravit: dumque in Arelavensi Missionis indulget ardentissimæ caritati, divino illo potius, quàm febris ardore, consumptus interit VI. Kal. Septemb. anni MDCVIII. annos tantum septem ac triginta natus. Cives primarii certatim obtulerant suas ædes, in quibus commodius ægrotaret ac levius, quàm domi nostræ. Abnuit: hoc unum dolens quod in vinculis aut media barbarie non moreretur: lætus cetera & triumphans decurso vitæ inter utiles animabus ærumnas, licet brevi, spatio. Laudavit extinctum Zebuanus Episcopus, flevit ipsi barbari. Observatum in eo fuit, quòd cum inter illos versaretur in summis rerum omnium angustiis, rem nihilominus divinam facere vix unquam omitteret, eoque *fortium pane* suam & Christianorum suorum patientiam armare.

12.  
Baylanæ complures hosti animarum ereptæ.

13.  
P. Melchioris Hurtadi fortitudo, pietas, mors.

armare. Idem unum in libellum congefferat quæcumque vel scire vel exequi virum Apostolicum decet. Ita ceteris carere libris poterat, quos ubique nancisci promptum non est; aut a prædonibus & naufragiis defendere.

Anno MDCIX. pax confecta tandem est cum Mindanensibus. Ea donec a Manila gubernatore confirmaretur, pactæ sunt induciæ, magno religionis bono, quæ, velut hyeme depulsa, restoruit. In insula Siquiorenfi, quæ una maxima clausa videbatur Evangelio, apertum ingens ad Fidem inducendam ostium, horratu præsertim & studio matronæ Christianæ; quæ verbis, deprecatione, exemplo tantum apud barbaros potuit, ut pristina feritate posita mansuescerent. Id vero arte quadam & industria perfecit, initio propagandæ pietatis ducto ab ipsis mulieribus, id quod in errore profeminando usurpatum olim est ab hæreseon architectis, quos ope feminarum & sollertia plurimum usos accipimus. Dedit operam ista ut è mulieribus pium sodalitium conflaretur, quarum partes forent maritos docere, instituire filios, exemplo ceteris præire. Exarsit inde viros inter & feminas sancta æmulatio, quam virtutis cotem rectè dixeris.

S. VII.  
MICHAELIS AYATUMI,  
ADOLESCENTIS INDI,  
MATURÆ VIRTUS.

Huic matronæ filius erat adolescens in Seminario Societatis Boholano, Michael Ayatumus, dono quodam divinæ Providentiæ genitus, ut Indicæ juventuti proponi tanquam exemplar posset. In eo erant omnia ornamenta, quæ incuntem ætatem commendare solent, imo quæ in sanctioribus pueris admiramur. Novies quotidie Virginis coronam recitabat: Christi Domini ac Deiparæ vitam assidue tractabat meditatione. Sæpe sciscitabatur à sacerdote, quem habebat conscientie moderatorem, qua maximè ratione posset Dei præsentis & amantis imaginem animo altiùs insculpere. Hanc vero ubique circumferre videbatur, tam suis exstabat hilaritas in ore, tanta in omni motu gestuque modestia. Sextam feriam & sabbatum traducebat jejunos, hoc in Virginis Matris, illam in Christi crucifixi honorem: non deerant alia diebus aliis jejunia, quibus addebat crebram corpusculi verberationem. In votis illi erat publicè vapulare, colaphis cadis, fœdari sputis, Christi Domini propius imitandi studio.

Societatis operarios, cum excurrebant ad Evangelica ministeria, solebat commitari, & eorum commodis mira dexteritate ac providentiâ servire. Monenti aliquando cuiquam ne se tanto labore frangeret, viros religiosos parce duriterque tractandos esse: Quò minùs, inquit, illi de suis commodis laborant, eo me impensius adniti par est ne quid capiant incommodi: mihi partes impostæ sunt caritatis, non parcimoniæ. Multa ejusmodi feruntur ejus responsa plena prudentiæ. Viderat aliquando suos æquales ludere petulantius, & verba quadam effutire parùm a prætextatis abhorrentia. Monuit Seminarii rectorem; Ne, inquit, a levioribus exorsi, graviora paulatim audeant. Flagrabat enim in tenello pectore ingens animarum servandarum cupiditas, neque ulla in re placebat sibi magis, ubi dabatur aliquid otii, quàm in elaborandis conciunculis, quibus acriter barbaras consuetudines infestabatur. Pueris vero, cum Evangelii præcones aliquo profectos affectabatur, tam scite doctrinam Christianam explicabat, ut Apostolicam in puero mentem sentires. Ea rerum divinarum peritia fecerat ut illum Patres aliis adolescentibus, in Seminario pariter educatis, præficerent: at ille honoris umbra levi adeo exterritus est, ut inciderit in morbum, neque ante convalesceret quàm in eundem cum ceteris ordinem redigeretur. Virginitatis illibatæ florem Christo tribus ante obitum annis voverat, quæ materia multorum & gravium cum parentibus & consanguineis certaminum illi fuit, cum nuptias non ignobiles invito & reluctanti oggerent. Eluxit ejusdem animi excelsitas in avunculi funere, quod cum affines ejulatu multo, ut mos barbaris, prosequerentur ipse oculis siccis perstitit, negans lugendam aut hominis mortem, quæ voluntate Numinis eveniret; aut Christiani, quam beata immortalitas exciperet. Ad eam ipse se se diligenter comparabat, solitus tertio quoque die labes animi confessione sacra detergere, ac pridie ejus diei, quem novissimum habuit (is fuit XIII. Kal. Decembr. anni MDCIX.) quasi præsciens instantis leti, sacramentis Eucharistiæ & pœnitentiæ se communit, palamque mortem imminere sibi denunciavit. Ejus expectatione haudquaquam turbatus perrexit placidè ad flumen cum aliquot puerulis,

rullis, pannos ut ablueret. Vix in ripa constiterat, corruit semianimis; ac domum reportatur, ubi suavissima JESU & MARIÆ nomina ingeminans obiit, anno ætatis decimo sexto. Cadaveri, cum efferretur, palma in manum inserta, caput floribus redimitum: funus gemina Deiparæ sodalitas cohonestavit: consentiens virtutis ejus opinio, atque adeo imitatio, instar ingentis panegyrici fuit.

Sanè ex illo tempore majorem in modum aucta est castimoniam apud indigenas existimatio, cujus antea nomen vix ferebant; cumque adolescentes plurimi à Seminario abhorrent, sive liberioris vitæ studio, sive innata erga parentes caritate, jam exemplo tanto permoti certatim in illud adscribi percupiebant, & a suis etiam parentibus eò deducebantur. Insulam Boholanam non agnoscentes; ita mutati mores erant. Olim latrocinii & cædibus adeo laborabat, ut cogentur incolæ defigere perticas in aqua, secundum littus, ex iisque lectos suspendere, ne à sicariis noctu confoderentur. Ex arboribus enim aut palis vulgè retia suspendunt: iis involuti cubant, anguim metu, quibus humus tota scædet. Furtim igitur obrepebant sicarii, & retibus suppositi, cubantes incautosque lanceis noctu configebant. Jam tuta quies; moribus à feritate ad humanitatem, ab impietate ad pietatem conversis. Tradebant ultro flammis Dalongones suos. Hæc erant præfca miseræ gentis numina; molares nempe crocodilorum dentes, in quorum infima parte caput humanum ex ebena, aliave materia, cælatum exstabat. Colebant alium præterea Deum, Divatam nuncupatum: ei sacras esse locustas arbitrabantur. Itaque, cum frugibus erant molestæ, unam ex infesto capiebant agmine, ejusque collo tantum alligabant auri, quantum gestare posset. Sic onusta remittebatur ad Divatam, eo munere scilicet placandum. Nunc istam frugum arborumque pestem piis Ecclesiæ precibus averruncare docti sunt. Hunc feliciam insularum ad meliora sacra moresque Christianos transitum multo antè prænunciatum tradunt: & anno MDCIX. vulgatæ, atque ad Patres Societatis allatæ sunt prædicationes, quas ante Hispanorum in Philippinas adventum editas populi consentiens opinio ferebat. Carmina sex erant barbara, quorum interpretis fuit sacerdos vetus gentis, tanto melior modo Christianus, quanto pejor antea, veneficus. Sententia carminum hæc erat: Venturos advenas ex orbe longinquo, & sanctiora sacra cum moribus illaturos. Narrabat præterea idem interpretis auditas lamentantium dæmonum voces, qui se à Christianorum Deo victos pulsoque faterentur. Nec raro voces eorundem propalam exceptæ, graviter de Maria Virgine conquerentium, à qua suum conteri caput ingemiscebant. Nihil autem ferebant molestius, quàm in mores barbarorum inductam humanitatem, misericordiam & benignitatem. Ut dæmon è furore totus ac malitia concretus est; sic easdem furias affabat Indis suo subditis jugo. Nulla ipsos mutæ caritatis necabant vincula, nulla commiseratio calamitatis alienæ movebat. Hominem necare, ludus; mactare hospitem, jus fasque habebatur. Nunc, postquam Christum induerunt, misericordiæ viscera pariter & benignitatis induerunt; pietatem in parentes, caritatem erga liberos, erga hospites humanitatem; curam & commiserationem adversus ægrotos. Coacti fuerant in sterilem ac desertam insulam fugere plurimi lepris infecti, & oppidis hominumque consortio exclusi vitam infelicem illic trahebant. Reducti sunt ab hoc velut exilio in patriam; & cibo, vestitu, baptismo, domicilio, donati. Jam (quod apud illos antea insolens & inauditum) ægrotis & peregrinis additas domos habent, easque omnibus rebus instructissimas, illarum cura primoribus demandatur in beneficii & honoris loco. Canistrum ingens pro foribus nosocomii deponitur: in illud quod cuique commodum est cibi suppellectilive projicitur. Præterea singuli pagi singulis hebdomadis vices alendi nosocomii onusque sortiuntur. Itaque stata die carnes venando captas afferunt, assas elixasve, cum oryza obsoniisque similibus. Receptum hoc moribus præfca erat, nunquam ut venatum irent nisi prius idolo consulto. Superstitiosa consuetudo atque impia in meliorem est mutata. Pergunt venatores in ædem sacram, ibique à Christo per Virginem Matrem postulant ut venationem fortunet: neque preces irritæ vulgo cadunt. Eandem erga se Numinis benevolentiam sæpè comprobant in gravissimis, unde nulla yis humana vel industria illos explicuisset,

14.

Quæ virtutes à barbaris potissimum cultæ, & quibus stimulis excitatæ.

cuiſſet, periculis. Divinam rem in æde ſacra ſacerdos Societatis faciebat; templum fragore ingenti fatiſcere ac labare cœpit. Perrexit nihilominus, & ſacrificium abſolvit. Cum ſe in ſacrarium reciperet, moles male compaſta ruit, egreſſis commodum qui dabant operam facienti. Sic mortalium amorem beneficiis Deus proliciter: interdum etiam pœnis incutit metum, ſed parcius, ut decet patrem; & ita, ut paucis cladem pœna, multis ſalutem timor afferat. Irretitus neſcio quis prava pejerandi, & voces impias effutiendi aſſuetudine, addebat, Crocodilis omnibus ſiam præda, ſi mentior. Crocodili præda fuit. Alium ad conſueta ſtagitia properantem noctu duo monſtra fuliginofa rapere ſublimem, & ad os patris accenſo ſulfure æſtuantis, detulerunt; orantem nihilominus veniam, & meliora ſpondentem, raptavere per ſenticeta, & quaſſatum toto corpore abjecerunt humi. Delatus in templum agnovit ſcelera, & emendavit.

15.

Itarum legati.  
Miſſio ad Bantaianos, Biſaienſes, Dapitanos, Butuanos, Tinabogentes, &c.

Nationem Itarum plerique ſacerdotes Societatis tentaverant in oppida & pagos deducere, ut facilius excoli poſſet. Illam innata barbaries ac libertatis amor in montibus & ſylvis adhuc retinebat. Demum anno MDCXII. ſua ſponte deſtinavit oratores ad P. Montorum, qui gentis nomine ſignificarent deliberatum cunctis ac fixum eſſe demigrare ex montibus, pagosque & oppida, ſi locus idoneus aſſignaretur, ædificare, ubi à Patribus Chriſtianos ritus docerentur. Primam legationem ſacerdos prudens repudiavit, illorum inconfantia merito diſſuſus. Sed altera ſtatim conſecuta promiſſis ingentibus fidem publicam obſtrinxit. Hanc in petendo perſeverantiam cernens Montorus legatos ad Hiſpanum gubernatorem deduxit, qui laudato gentis conſilio, rata quæcumque petebantur eſſe juſſit. Caſtreſem eodem anno Miſſionem noſtri obierunt in gemina expeditione Hiſpanarum cohortium adverſus piratas, qui latrociniiſ & cædibus infeſtam habebant Biſaienſium regionem, Hiſpana ditionis. Dapitanum erat oppidum ad oram maritimam impoſitum colli, & præruptis rupibus cinctum. Oppidani, nuper ad Chriſti fidem converſi, finitimos ex inſula Mindana Saracenos experiebantur hoſtes inſenſiſſimos. Eorum tamen quotidianas incurſiones fortiter in hunc diem, Chriſto auſpice, reſpreſſerant, numero quidem impares, at animis & loci opportunitate ſuperiores. Unum illis, tot inter victorias, dolebat quod eſſent ſacerdote ac ſacra æde deſtituti. Utrumque anno MDCXII. adepti ſunt. Interea illorum fuit hoc inſtitutum, hæc memorabilis pietas dum hoſtes undique ingruiebant, ut cum parentes pro patria & liberis ferro depugnarent, imbelles filioſi, unum in locum congregati, quotidie nixi genibus roſariola percurrerent, viresque ac victoriam verſantibus in acie parentibus à propitio Numine depoſcerent. Ventum deinde ad Butuanos. Iſ hoc nomen inditum eſt à flumine Butuano, ad cujus ripam indigena Chriſtiani, coetu variis è locis facto, & iſto foedere, oppidum ædificaverunt, in medioque templum & ſacerdotis domicilium collocarunt, ne quid periculi utrumque ſubiret, niſi poſtquam omnia munimenta fuiſſent expugnata.

Tinagobenſes, cum ethnici nuper eſſent, non aliis vulgo ſacerdotibus quam mulieribus utebantur. Tanta porro iſtarum vetularum, ſeu ſagarum, apud omnes erat veneratio, ut ſumma penes illas publica rei poteſtas eſſet. Eadem, poſteaquam Evangelio crediderunt, ſtudium illud ſuum vetus proferenda falſe religionis traduxerunt ad veram amplificandam: nihilque prudentius, nihil fructuoſius noſtri poſſe fieri putaverunt, quam ſi plurimas præceptionibus ſacris imbuerent, & magiſtras notis familiis pagisque præſicerent. Quippe cum magna eſſent apud omnes in gratia, & longa exercitatione artem dicendi minime barbaram comparaffent, afferebant ad myſteria percipienda ſummam facultatem, ad eadem vero aliis tradenda ſummam auctoritatem. Inſula Cybabao colenda tres è noſtris deſignati uberrimas Evangelii fruges collegerunt. In quatuor oppidis totidem templa condita ſunt ab incolis: quorum duo millia in Chriſti ovile aditum per ſacramenti primoris oſtium invenerunt. In his obſervata eſt grandis natu anus, ſalutaris balnei cupiditate illuc è montibus longè proſecta; cui ſermonis, ob debilitas annis & via vires, uſus duntaxat uſque eò dum baptiſmum peteret; vitam dum ſuſciperet, magno Dei munere ſuppeditavit.

Ex his, quæ hæcenus retulimus, æſtimare licet quam piè vereque fuerit a  
Phi-

Philippo II. responsum aulicis quibusdam suadentibus ut Philippinas insulas Christianis imbui sacris cœptas desereret, quòd regio sisco futuræ essent graves, propter expensas proventibus majores, in solo sub initium non ita quæstuoso. Ego vero, inquit, pro una ædícula sacra, aut neophyti unius salute, non solum Indiarum gazas, sed omnes Hispaniarum thesauros libenter expendam, ac bene collocatos arbitrabor. Digna Christiano Principe, digna Catholico Rege vox! Ille verò non una tantum æde sacra, sed plurimis & templis & veris Christi adoratoribus auctam ornatamque in Philippinis religionem vidit. Vidit easdem insulas, divina benignitate ac studio colonorum, auctas auro, fragibus, incolis; divites melle, saccharo, & ceteris opibus, quæ vicinorum invidiam & mercatorum studia stimularunt. Societas vero nostra, ut nihil modo de ceteris Ordinibus Religiosis dicam, quorum laudari satis Apostolici labores nequeunt, stabiles domos majores quatuor anno MDCXV. numeravit: nempe Manilanum collegium, Seminarium S. Josephi, Zebuanum collegium & domum Probationis: minora verò domicilia, seu Residentias, duodecim: Boholanam, Antipolitanam, Silanensem, Carigaranam, Dulacensem, Tinabogensem, Palapaganam, quæ item S. Spiritus dicebatur; Indanensem, Maragondonensem, Taytayensem, & Arebalensem. Omitto varias Missiones non uno stabilique loco fixas; sed levium castrorum more, huc illuc deferri solitas. Crevit iste postea numerus, & anno MDCCX. dum hæc scribimus, quindecim Residentiæ, & quinque Collegia in Philippinarum Provincia recensentur.

INTRA Philippinas jacent insulæ Molucæ intra CLV. & CLXX. gradum longitudinis, ipsi Æquatori magnam partem subjectæ. Earum maxima Celebes dicitur, sive Macassarum. Secundum illam ceteras vincit amplitudine Gilola. Huic adjacet Mauri insula, cum aliis minoribus, Mauricis pariter dictis: quæ non tam incultæ modo & barbaræ sunt, quàm ferebantur ante annos admodum quadraginta, cum in eas S. Franciscus Xaverius exscendit. Præterea inter easdem Molucas celebrantur Ternata, Tidora, Ceramum, &c. Incolæ Molucarum Mahometana plerique somnia sequuntur: Christiana religio per Lusitanos inventa, per Societatem variè propagata fuit, primum quidem per S. Franciscum Xaverium, & missos illuc ab eodem PP. Beiram & Riberium: quo tempore in iis insulis milia Christianorum amplius sexaginta numerata sunt: deinde, mortuo Xaverio, per strenuos ejus virtutis imitatores fuerunt excolta. Erat in Insula Ternata anno MDXLVI. arx Lusitanorum: sed insulæ dynastes eorumdem stipendiarius, Mahometana superstitioni addictissimus, favebat Christianis palam, id è re sua esseratus; dolos clam necemque Lusitanis & Patribus moliebatur. Id sentiens Lusitanæ arcis præfetus, illum nec opinantem comprehendi jussit. Ad eum liberandum arma statim ab indigenis sumpta, bellum ingens constatum: in quo P. Alfonso Castrius est à barbaris interfectus. Lusitani redimere pacem coacti sunt Ternatensi dynasta restituto. Barbarus ultionis avidus in Christianos dum sævit, à milite Lusitano cæditur. Ejus nece bellum recruduit. Arx Lusitana pertinaci obsessione annorum sex victa est, & ad deditionem compulsæ, incredibili Christianæ religionis damno. Lusitani se in Amboinam receperunt cum Patribus Societatis. Vexati à Ternatensi regulo Manilam miserant anno MDXCIII. peritum auxilia: & classem in Ternatenses paratam prætor Gomezius instruxerat, cum a remigio Sinensi per insidias obruncatur. Eo destituta auxilio Lusitana res & Catholica ferè concidit, adeò ut consultatum anno MDXCV. fuerit inter Socios num expediret, relictis Molucis, operam utilius collocandam sedemque aliò transferre. Quatuor adhuc domicilia retinebant in totidem insulis, Amboina, Tidora, Siao, & Labua. Manère Claudius Aquaviva jussit, & creditam sibi à Domino provinciam quibuscumque possent rebus tueri; hortatus ut gauderent pati, quandoquidem agere non liceret. Igitur in statione manserunt, neque adfuit magna solum fortiter patiendi facultas, verum etiam utiliter agendi; præsertim anno MDCL. cum Batavi, navibus & copiis Ternatensium aucti, arcem quam in Tidora Lusitani construxerant, obsidione cinxerunt. Dies illapso in Ecclesiam nascentem Divino Spiritui sacer, prælio ingenti statim commisso memorabilis fuit.

16.  
Præclara vox  
Philippi II. Re-  
gis Catholici.

§. VIII.  
SOCIETATIS FAU-  
STUS LABOR IN  
MOLUCIS INSU-  
LIS.

Divisi bifariam Patres arma suæ militiæ impigrè tractaverunt, cohortandis Lusitanis, qui rates hosticas velis, armamentis, & hominibus ita spoliaverunt, ut læceræ ac diffractæ fugam indecorem arripuerint, relictis quæ litus mordebant, ancoris, clavis acceptæ testibus.

17.  
Variæ insule  
Christo partim  
redditæ, partim  
additæ.

Hoc discrimine perfuncti Socii varias peragrarunt insulas, quarum alias reddidere Christo, alias addidere. Labuam regulus obtinebat Christianus ille quidem, sed infando pellicis amore palam implicatus. Diu surdas aures ingrata veritas ac Sociorum vox frustra pulsavit, obstrepente vitiosa cupiditate: demum exoratus flagitiosam cum Saracena consuetudinem iustis mutavit nuptiis, & uxori veritatem religionis persuasit. Ut vero publicæ offensionis satisficeret, indicit supplicatione, Crucis vexillum gestare, ac sacro agmini præire non erubuit.

Hyems anni MDCI. imbribus fœda pios animarum prædones non tenuit quin per aspera nigris Aquilonibus freta, per montes nivibus horridos, & ferarum lustra percurrerent Omam, Oliacem, Rosselanam, aliasque minores insulas. Præda mille capitum fuit, quæ baptismus in Christianam libertatem vindicavit. Rediere pariter in Ecclesiâ sinum complures alii, qui per superiorum temporum caliginem & acerbiteriam, defecerant ad Saracenos. Ex ipsis Saracenis non pauci, flagrante bello capti, & in Amboinæ arcem inclusi, Mahometem ejurarunt. Nec deterior successus Lusitani Martis fuit, hoste passim circa Amboinam fuso delectoque: felicior etiam exstitit anno sequenti, quo Andræ Huradi de Mendoza fortunatus in Molucas adventus lucem dubiis adhuc rebus ac salutem attulit. Statim insulas complures, quæ à Lusitanis & religione defecerant, expugnavit: præsertim Itum & Yaranulam. Itenses, urbe deserta, cujus arcem Batavi tenebant, in montes altissimos, & abruptis cautibus præinctos, evaserunt. Subvexerant in ipsas cautes saxa immania, quæ in obsidentes devoluerunt. Angustas præterea fauces montium, per quas tantum aditus patebat, multo militate, & opere muniverant. Lusitanus dato signo, per invias rupes & inaccessibleis, feris ipsis juga, inter horrifonos tubarum, tympanorum & tormentorum fragores evolavit. Periculi pars ad Patres Societatis pertinuit. P. Brixius Fernandez duplex vulnus in capite gravissimum accepit: alii faucibus militibus, medios inter ignes, & obvias ubique mortes, adfuerunt. Hostes tam inexpectata & inaudita fortitudo sic exterruit, ut plerique se summis è jugis præcipites dederint. Urbes propinquæ pacem fœdusque renovarunt, missis civium primoribus, qui altera manu glebam, altera caryophylli ramos præferabant, quasi terræ possessionem ejulque fructum & opes præcipuas traderent. Arx Batavorum excisa. Ventum deinde ad insulam Yaranulam. Ejus oppidum civibus in fugam effusus, directum incensumque: arces duæ, una Batavorum, Ternatensium altera, solo æquatæ. Obsides vicinarum insularum in Amboinam adducti fuere, cumque illis promiscua colluvies ethnicorum & Saracenorum, è quibus brevi tria millia veteris vitæ atque impietatis fordes in sacris baptismi aquis deposuerunt. Plurimi Christianæ Fidei desertores salutari pœnitentiæ fonte perfidiam purgavere. Sacerdos præter oppidulum iter faciens, rogatus ab incolis est ut erigeret Crucem, ipsosque faceret Christianos. Fecit, nullo excepto. Iniri facile nequit infantium numerus, quos Deus sibi filios adoptavit: neque satis laudari multorum ethnicorum fortunata mors, quos cœlum eodem salutis charactere insignitos continuè admisit.

Parum erat minores, id genus insulas expugnasse, nisi Ternata reciperetur. Hoc denique, anno MDCVI. feliciter est confectum. Jussus à Rege gubernator Philippinarum depellere hostes, antequam in recenti possessione se confirmarent, ac laboranti religioni quamprimum succurrere; in Ternatæ conspectum exennt. Februario cum apparatus classe venit. Primus labor expiandis sacra confessione militum animis datus. Statim in terram expositi succedebant ad arcem, exilis quæ circum obstabant, arboribus, fossisque ad mœnia perductis, cum acies Ternatensium prorupit. Exceptit ruentes Lusitanorum cohors: instat cedentibus, simulque arcem cum fugientibus ingreditur. Concurrentibus ad portam hostibus qui mœnia servabant, Lusitani muris pœnè desertis admovent scalas, vexillapinnis victricis desigunt, faciunt impetum è mœnibus in obsessos, qui vel sub-

ducti fuga, vel casti, victoriam facilem, ac vacuum arcem victoribus reliquerunt. Sic hora dimidia Lusitanis obtulit quod anni complures negaverant. Arce capta oppidum, dilapsis cum milite civibus, ad victoriæ cumulum accessit. Rex Ternatæ Christianæ religionis hostis acerrimus, paratas naviculas celeriter conscendit, cum filio paucisque principibus: reliqui se receperunt in locum insulæ satis munitum. Sed ad colloquium adducti, & Lusitani ducis humanitate capti, non modo se sponte victoribus dederunt, sed Regem ipsum, qui evaserat in Gilolam, inducere ut se Lusitanis permitteret. Ab iis abductus Manilam est, ne quis tumultus per eum in Ternata oriretur. Statim pristina pax rebus & religioni rediit; collegium Patribus cum templo restitutum, & ad reparanda superiorum annorum vulnera, in vicinas insulas, ubi fides multorum laborabat, continuo discessum est. Ad perdomandas Ternatensium aliquot Saracenorum reliquias, jugum excutere tentantium, magnoperè valuit P. Gabrieli à Cruce auctoritas & prudentia. Callebat sermonem indigenarum, compendia viarum ac diverticula noverat. Itaque exercitui magnas utilitates attulit: & integras aliquot urbes pellexit ad deditionem, quarum cives olim permultos Christianæ militiæ sacramento adegerat, & modo ad signa pristina, quæ Saracenorum exemplis impulsis, aut immanitate fracti deseruerant, facile revocavit.

Rebus hunc in modum ad pacem adductis, pleræque insulæ in Lusitanorum fidem se contulerunt; interque illas Morotaia, ob S. Francisci Xaverii memoriam celebris, qui tria ejus oppida Evangelio subdiderat. Triginta jam annos cultoribus destituta fabulas Alcorani audiebat. Tulus insula P. Gabrielem à Cruce repetitis precibus accivit. Ibi quadringentos in primaria civitate sacris lymphis abluit, ferè ducentos in Ecclesiæ gremium reduxit: totidem in vicina insula, mille trecentos in alia: quingentos alibi adolescentes baptismo tinxit; plures Christiana doctrina, postmodum baptizandos, imbuit. Rex insulæ Cionis in Christi quidem fide ac Lusitanorum amicitia cum suis manserat; mores nomini Christiano non respondebant. Eos priscum in decus P. Antonius Pereira restituit. Degebat in eadem insula bello non ita pridem captus dynastes. Exilii affectus tadio P. Pereiram, ut otium falleret, auscultavit. Saluti fuit curiositas. Ingenii sagacitate, quam divina lux adjuvabat, veritatem aspexit, ejusque amore ita inflammavit populares suos, ut Patrem cupide arcessiverint. Sed antea regulus insulæ vicinæ, qui filiam suam Cionis regi collocabat in matrimonium, eam seque cum suo regno in Christi jura transcripsit. Divinæ pariter legis magistros enixè postularunt Principes insularum Manadæ, & Cauripanæ, in quibus aut infidelium regnabat impietas, aut Fidei purissimus nitor vitiorum sordibus valde obsoleverat. Lustrata similiter insula Mauri, secunda illa Sancto Francisco Xaverio laborum juxta & meritorum seges; peragrata Bous & Titola, quarum reguli ac tetrarchæ, veluti sublato signo, ad Christi vexillum certatim convolarunt.

Magnum Lusitanis fuit Ternatam ethnicis eripuisse; majus ab hæreticorum incurfu Malacam defendisse. Fatalis tamen ea victoria duobus è Societate hominibus exstitit. Batavi dudum inhiantes Malacæ, arma & naves cum regibus barbaris, ad eam terra marique oppugnandam, junxerant. Adfuere improvisi III. Kal. Majas anni MDCVI. Post tentata diu nequicquam moenia dimicatum est navali Marte, donec prælium nox dirimeret. Postridie redintegratur. Deustis hinc inde navibus, fractis, demersisque, Batavi classis male multatæ reliquias in vicinos portus subduxerunt. Sex Societatis sacerdotes inter navium stragem, & fulmina tormentorum, huc illuc, quo certantium ardor, quo morientium clamores vocabant, ferebantur. P. Joannes Abreus, Sociorum præses, dum ingentis animæ prodigus per foros cursitat, grave vulnus accepit. Coactus deinde in scapham, quia flammis correpta navis ardebat, descendere, feliciter enatabat, cum scapha vento delata est in Batavorum prætoriam, à quibus novis vulneribus confectus interiit. Blasum Pereiram, domesticæ rei adiutorem, Abrei Socium, paulo ante peremerant. Mitioem, nec minus gloriosam obiit mortem in Molucis Pater Gabriel à Cruce. Alias atque alias ex intervallo revivens insulas, unus multas excolebat. Tantum aliquando exhaust laboris baptizandis infantibus, & adultis

18.  
Regulæ dynastæ cum integris regnis ad Fidem conversi.

19.  
Socii duo ab hæreticis interfecit: tertius piis laboribus confectus.

in Fide confirmandis, consolandis in morbo, in calamitate sublevandis, ut Ternatam petere coactus fuerit valetudinis causa. Medio itinere occurrit hostilium cerdos interritus, neque sagittis aut plumbeis glandibus, quarum feralis imber undique depluebat, violatus fuit. Batavi sinistro Marte congressi recesserunt. Patet in Ternatam appulsus, aeternae felicitatis portum, ut speramus, felici mortis ac sermonibus praegustabat. Annis quinque & viginti opus juvandarum in his insulis animarum impigre tractaverat.

S. IX.  
SOCIETAS IN  
CEYLANUM VO-  
CATA.

INTER Maldivas insulas & Sundicas jacet, septentrionem versus, in nono latitudinis gradu, ad extremam Orae Piscariae partem, Ceylanum, insula celebris, Taprobana veterum credita. Eam ingressi sub annum MDVI. Lusitani, arce aliquot exstruxerunt contra vim & insidias indigenarum, quorum ut conatus frangeret Petrus Lopezius de Sosa, exercitu collecto, Patrem Antonium Schippanum anno MDXCV. ex Ora Piscaria, qui adesset militibus, vocavit. Lopezio in acie, dum fortiter pugnat, caeso; Schippano, dum pugnantes cadentesque juvat milites, vulnerato & capto, pactae sunt paulo post induciae, & à Lusitanis oblata statim Societati fuit, scriptis etiam ad Pontificem litteris. Hanc ut acciperet adduci Schippanus nunquam potuit, quantumvis rogatus ab Hieronymo Azebedio, Lopezii successore, verius ne faceret aegre Franciscanis, qui veluti possessionem insulae priores adierant, & Apostolici muneris partes omnes egregie tuebantur. Eandem ob causam, cum sub idem tempus P. Emmanuel de Vega, Romae Indicæ provinciae procurator petens, transiret Columbo, quæ primaria insula civitas; accepissetque à civibus litteras, quibus rogabant Regem Lusitaniae ut locum aliquem Societatis hominibus in Ceylano esse vellent; vastissimam esse insulam, quæ capere plures posset: vetuit P. Franciscus Capralis, Indicæ tunc provinciae praepositus, ne istas litteras aut Regi deferret ipse, aut per alium deferendas curaret. Verum anno MDCII. Andreas, Cocinensis Episcopus, ex eodem D. Francisci Ordine, reluctantes penè Socios in Ceylanum introduxit. Cum enim insulam pro suo munere visitaret, necessarium arbitratus est, in tanta messe, adjuutores addere Franciscanis. Regi pariter ita visum, & Goano Archiepiscopo. Venere igitur Columbum Patres, effusis obviam civibus, & gratulante urbis atque insulae gubernatore Hieronymo Azebedio, fratre Patris Ignatii Azebedii, qui Brasiliam petens periit ab haereticis. Hieronymus fratris memor, novos hospites in fidem suam accepit, domumque ipsis condidit. Statim illi strenuè munia Societatis obierunt, ac paucis post mensibus in urbe Chilao, ubi septem duntaxat Christiani degebant, quinque hominum millia Fidem Christi amplexa sunt. Hic statim Societatis anno sequenti posita, itemque Caymelæ & Mandapæ, ac subinde in aliis quibusdam versus partem insulae septentrionalem urbibus: hæc enim pars attributa Societati fuerat, relicta Franciscanis Australi; concordiae majoris causa.

Non defuit, ut in omnibus quæ Religio suscipit negotiis, exercendæ pietatis locus; praesertim in gravissimo totius insulae tumultu, cum indigena praepotens bellum Lusitanis indixit. Eo motu sedato, resoruit ubique pietas. Ad eam propagandam haud parum attulit momenti dynastiae ethnici auctoritas, & amicitia beneficio conciliata. Capite damnatus, vitam ac libertatem nostrorum deprecatione obtinuerat. Reversus domum praekonem religionis Christianae se praebuit, rediitque ad Patres cum muneribus, & suscipiendi baptismi voluntate. Devincti hac in suum civem benignitate ethnici, sponte se tradiderunt Christianis moribus informandos. Novam in insula Ceylano stationem Societas adeptæ est anno MDCXI. in ea parte insulae, quam Setecorlam vocant. Debetur hoc beneficium praecipue Simoni Corree, primario centurioni. Qui non solum adjuvabat Sociorum labores pia liberalitate, sed Evangelicum opus cum iisdem dividens, indigenas Christiana doctrina haud segniter instruebat. Ex iis lustrati eo anno fuerunt baptismi sacro fonte sexcenti; tercentum proximè lustrandi erudiebantur.

Ad-

Adjacet Ceylano exigua insula: Cardivam appellant. Ea bello deformata, erat, & exhausta incolis. Ad eos revocandos missus sacerdos Societatis brevi totam Christi cultoribus implevit. Sed nihil ad profigendam superstitionem, plus valuit, quam idoli Munocerani, tota regione celeberrimi, ruina. Ceteris delubris prælucebat illius templum, cui centum & sex pagi addicti & vectigales. Loco præscam venerationem affinxerat fama. Sic enim existimabant Numinum principem, quem Deum terræ vocitabant, ibi natum. Ergo universa illuc insula conveniebat. Idolum porro tam celebre, nihil erat aliud quam ingens marmor saxæ basi impositum. Fænum Hieronymus Azebedius dedit Patribus Societatis, à quibus in veri Numinis domum continuo muratum fuit, & Apostolis Petro Pauloque dedicatum. Idolum evertere aggressos risus plebeculæ, metu & commiseratione mistus, excepit. Nam Brachmanes omnibus persuaserant marmor sacrum moveri evertique non posse; ac si quis id tentaret, statim pœnas præfenti nece daturum. Patres haud ita magno molimine lapideum numen dejecerunt salvi & incolumes. Risus in Brachmanes conversus est, & populi delusum se tot annos videntis, libera in impios circulatorum erupit indignatio. Quantum inde falsæ religioni decessit auctoritatis ac fidei, tantum accessit veræ. Itaque Pater Petrus Euticius, præter complures indigenas, filios regulorum quatuor sacro fonte abluit. Ad Serecorlæ Regem postea profectus, eum Christianam docuit legem; & capita viginti quatuor è regio comitatu, salutaribus lymphis lavit. His instantem oppressit mors. Extinctum Rex funebri veste sumpta flevit, & à suis deseri similiter iussit.

20.  
Cardiva insula  
exculca.



LIBER